

MICHÆAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

« Michæas, ait S. Hieronymus *ad Paulinum*, de Morasthi, coheres Christi, vastationem annuntiat filie latronis, et obsidionem ponit contra eam, quia maxillam percussit iudicis Israel. » De eodem sic scribit S. Epiphanius in ejus Vita: « Michæas Marathides propheta, de tribu Ephraim oriundus, cum plurima designasset Achab regis Juda, ab ejusdem filio cui nomen Joram, precipitatus occubuit; eo quod de iniquitatibus suis progenitorumque suorum, quas perpetraverat, redarguisset. Is mortis carcere liberatus, in Marathi propria terra plane solitarius tumulus iuxta polyandrium sortitus est. Est quidem monumentum ipsius usque in hodiernum tempus nobilissimum. » Eadem habet Dorotheus in *Vita Michæa*. Sentiant ergo hi auctores Michæam hunc vixisse tempore Achab et Jezabelis.

Michæa
dno.

Verum nota: *Primo*, alius est Michæas a Michæa filio Iemla, qui prædixit stragem et necem Achab, III *Reg.* xxi, 14; quem Eusebius in *Chron.* ait copiose prophetare anno quinto Josaphat (licet alicui in Eusebio pro *Michæas* censeant legendum *Elias*): nam ille vixit sub Achab et Josaphat; hic vero noster sub Joathan et Achaz: hic ergo illo fuit posterior ducentis, vel centum quinquaginta annis. Rursum ille in Israel, hic in Juda vitam egit. Prophetavit Michæas sub Joathan, Achaz et Ezechia, ut ipse ait cap. i, 4; ergo non sub Josia, ut habet Isidorus: nam inter Joathan et Josiam fluxerunt anni centum et viginti.

Michæa
propheta
fuit Mo-
rasthi-
tes.

Nota *secundo*: hic Michæas oriundus fuit de Morasthi, qui fuit viculus in tribu Juda juxta Eleutheropolim, ad orientem ejus. Chaldeus, Clarius, Arias et Valabius putant esse eundem cum Maresa. A Maresa enim vel Moreset deductum videtur hebreum nomen patronymicum Morasthi, id est Morasthites, quod hic Michæas attribuitur. Verum S. Hieronymus docet Morasthi nomen esse loci distincti a Maresa. Unde ipse in Epitaphio Paulæ scribit suo tempore ibidem existisse sepulcrum Michææ, illudque conversum fuisse in ecclesiam, quam S. Paula invisit religionis ergo. Sic et Adrichomius et alii in *Descriptione Terræ sanctæ*;

sic et Remigius, Haymo, Rupertus, Hugo et Lyranus hic. Fuit ergo Michæas oriundus ex tribu Juda, non Ephraim, ut censuit Epiphanius, Isidorus et Dorotheus in *Synopsi*; unde cap. i, 9, ait: « Venit usque ad Judam, legitur portam populi mei usque ad Jerusalem. » De Maresa, vero quasi de peregrina dicit vers. 15: « Adhuc heredem adducam tibi, que habitas in Maresa. »

Michæas martyr occubuit occisus gladio, ait Theophylactus; unde Sanctorum catalogo adscriptus in Martyrologio legitur die 15 Januarii. Ibi enim sic legitur: « In Judea SS. Habacuc et Michææ prophetarum, quorum corpora sub Theodosio Seniore divina revelatione reperta sunt. » Revelationem hanc narrat Sozomenus lib. VII, cap. ult., Cassiodorus in *Hist. Tripart.* lib. i, cap. XLIX, Nicephorus lib. XII, cap. XLVII. Audi Sozomenum: « Atqui non sola hæc religione contentabantur, verum et Habacuc, et post eum non longo intervallo Michæas, inter Prophetas primi, circa hoc tempus apparuerunt. Amborum autem corpora per divinam in somnis visionem indicata sunt Sebemno, tum temporis Eleutheropolis episcopo. Erat autem nomen ejus civitatis Gala, que antea Cila vocabatur, in qua repertus fuit Habacuc. At Baratsatia locus est circiter decem stadiis ab ea civitate distans, in quo Michææ sepulcrum erat, quod monumentum fidele vocabant indigenæ, ignari quid dicerent, Nephasa neemana (id est animam fidelem, vel corpus fidele: anima enim metonymice sumitur pro corpore, etiam mortuo, puta pro cadavere, ut in *Levit.* ostendi) lingua patria appellantes. »

Argumentum Michææ est, taxare idololatriam, vitiaque ex ea nata, ac præsertim oppressionem pauperum tam Samarie, quam Jerusalem; puta tam decem tribuum, quam duarum. Et quia Samaria idololatriæ vitulorum initium dedit, eamque communicavit Judæ sub Achaz impio rege, hinc primo excidium Samariæ per Assyrios, deinde excidium Hierosolymæ per Chaldeos comminatur, stragemque et captivitatem populi, præsertim principum tam laicorum quam Ecclesiasticorum,

Argu-
mentum
Michææ.

qui in scelere duces fuere populo, prænuntiat. Post hæc tristitia, de more leta subjungit, eosdemque consolatur, promittens letum reditum e Babilone per Cyrum, et lætiores ex peccato, morte et gehenna regressum ad gratiam, vitam et Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem per Chri-

stum, quem in Bethlehem nasciturum predictat. Nota: Michæas in stylo et spiritu similis est Isaiæ, ejusque quasi æmulus; unde et eundem subinde ad verbum citat, ut patebit cap. iv, 1, et cap. v, 1. Vide *Canon.* VI, in Procmio (1).

porro filius Achazus, peregrinæ superstitionis omnique generis sceleribus adeo immerisus erat, ut vel regni Israelitici improbitatem superaretur Juda. Ezechielis rursus stitit quidem studio Deum colat, et pietati operam dedit; regni tamen sui cives flectere omnino non valuit, ut idololatria missa, veri numinis cultum serio amplecterentur. Quis præterea nesciat sub pio principe non omnes cives regis sui exemplum sequi? Si vero urgens, impij principis temporibus graves istiusmodi oburgationes multo magis congruere, cur illas non ad Achaz ætatem referre malis, quo regnante Nostrum propheta munere functum esse, inscriptio testatur? Neque præmittendum est, quod Hartmannus minus videtur perpendisse, Michææ vaticinia tangere non solum regnum Judaicum, verum Israeliticum quoque, cujus utriusque regni proceres et cives promiscue compellat, sepe etiam discrete conjungit. Nichil vero nostris vaticiniis inesse, quod historicis temporum illorum, quibus Michæas vixisse traditur, repugnet, apparet consideranti faciem utriusque regni ista rotæ, qualis in *Regum* et *Paralip.* libris describitur.

Alias difficultates minus adhuc ratione nixas quo ponit Hartmann, haud utile solvere judicamus, utpote quibus satis sit respondere: a) Quod gratis asseritur, gratis asseritur. a) Vide præter Jahn et Rosenmüller supra citatos, Hengstenberg, *Christologie* th. III, s. 243.

In tres partes dividere cum Kiltner possumus Michææ prophetias. *Prima* pars continet prophetiam veluti legale, sistentem actiones judiciales contra utrumque regnum Hebræorum, cap. i-ii; *secunda* pars, prophetiam evangelicam, exhibens Ecclesiæ christianæ promissionem, cap. iv, v; *tertia* pars, prophetiam mixtam ex legali contentione et evangelica consolatione, cap. vi, vii.

Stylo Michæas utitur brevi, conciso, præcipiti, Mosesiano similimo, cui tamen Michæam anteposet De Wette, utpote sublimiore et vehementiorum Hoseæ. Tropi sunt varii ac elegantes, et increpationes vitiorum acerrime. Cum autem vixido quodam igne harescat, et ex uno in aliud subito transvolat, obscurior est, minusque legitibus pronus. (Ex Rosenmüller, De Wette, Lowht.) Qui plura desideraverit, adeat Eichornium, qui Michææ indolem poeticam, sed ut mere naturalem, videt coloribus extulit (*Eichorn. Einleit.* § 52).

Michæanis vaticiniis illustrandis singularibus commentariis operam navarunt: Ex catholicis: Gaspard. Grauar, *Salmantica*; 1570; Hieronymus Savonarola, *Venetiis*, 1497; 1513, 1520, 1548. Ex academicis interprofibus præter Lutherum: David Chytraeus, *Viloburg.* 1665; Albertus Gænerus, *Jena*, 1619 et 1654; Thomas Bongus, *Hafnia*, 1631; Ed. Pocockius, *Guill. Anolier*, *Tubing.* 1783; Jo. Christ. Harendbergus; Hag. Comit., *Duisburg.* 1781; Georg. Laur. Bauer, *Altorf.* 1790; Carl. Willgusti, *Leipzig.* 1799; Ant. Theod. Hartmann, *Lemgov.* 1800.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Denuntiat exidium primo, Samarie, quia illa fuit prima et princeps idololatricæ, cujus opes quasi meretricis meretricis, id est idololatricæ, ad meretricis, id est ad Assyrios pariter idololatrias, reversuras prædicit. Nominat autem aliquot ejus urbes, scilicet Aphra, Sappir, Saanan, cum ea vastandas, in quarum etymo eleganter indit, uti ostendam vers. 10 et seqq. Deinde, vers. 12, idem exidium prædicit Judæ, quæ in idololatria imitata est Samariam; ac nominatim Lachis, quæ prima urbium Judæ suscepit idola Israel, ac Bethaetsel, Maroth, Maresa et Odollam (1).

1. Verbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Joathan, Achaz et Ezechie, regum Judæ: quod vidit super Samariam et Jerusalem. 2. Audite, populi omnes, et attendat terra, et plenitudo ejus, et sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo. 3. Quia ecce Dominus egredietur de loco suo: et descendet, et calcabit super excelsa terræ. 4. Et consumerunt montes subtus eum: et valles scindentur sicut cera a facie ignis, et sicut aqua, quæ decurrunt in præceps. 5. In scelere Jacob omne istud, et in peccatis domus Israel, quod scelus Jacob? nonne Samaria? et quæ excelsa Judæ? nonne Jerusalem? 6. Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro, cum plantatur vinea: et detraham in vallem lapides ejus, et fundamenta ejus revelabo. 7. Et omnia sculpilia ejus concidentur, et omnes mercedes ejus comburentur igne, et omnia idola ejus ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur. 8. Super hoc plangam, et ululabo: vadam spoliatus, et nudus: faciam plancum velut draconum, et luctum quasi struthionum. 9. Quia desperata est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem. 10. In Geth nolite annunciare, lacrymis ne ploretis, in domo Pulveris, pulvere vos conspergite. 11. Et transite vobis, habitatio Pulchra, confusa ignominia: non est egressa quæ habitat in exitu: plantum domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet. 12. Quia infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus: quia descendit malum a Domino in portam Jerusalem. 13. Tu multus quadrigæ stuporis habitanti Lachis: principium peccati est filiæ Sion, quia in te inventa sunt scelera Israel. 14. Propterea dabit emissarios peccati est filiæ Sion, quia in te inventa sunt scelera Israel. 15. Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa: usque ad Odollam veniet gloria Israel. 16. Decalvare, et tendere super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum sicut aquila: quoniam captivi ducti sunt ex te.

Vers. 1.
Michæam
civem.

1. AD MICHEAM. — Michæas hebraice dicitur *Micha*, id est pauper, quia pauperem Christum rure in Bethlehæm nasciturum prædixit et adumbravit. Verum quia *Micha* per crasin idem esse potest

(1) Post præfationem exhibentem inscriptionem, et notantem tum patriam Prophetæ, tum tempus muneris prophetici, 1; — excitantem attentionem populorum ad audiendam divinam judicium, 2; — denuntiantem instantem Dei vindictam, vers. 3, 4; pars PRIMA dividitur in tres actiones.

Actio PRIMA, ubi videtur est, primo, accusationem culpæ, quæ fuit Samarie et Hierosolymæ communis

quod *Michahu* (ut patet II Paralip. cap. xviii, 8), id est *quissicut ille*? ac idem quod *Michaia*, et *Michahu* (ut patet II Reg. xxii, 12, Judic. xvii, 1, et II Paral. xiii, 2, in Hebraeo), ut significet idem quod

fuit ob quam tanta ira sua signa dedit Deus, vers. 5. Secundo, demonstrationem pene, quæ erit, primo, devastatio, consummata respectu Israelitarum, 6-8; inchoata respectu Judæorum, 9; secundo, confusio et ignominia, ob lætitiâ a Philistæis hinc capiendam, 10; et ob pristinum sortem omnino mutatam, 11, 12; tertio, oppressio tum ab hostibus, tum ab auxiliariis, 13, 14; et, exilatio et facultatum et incolarum, 15, 16.

Michael, id est *quissicut Deus*? Morasthi, id est hæreditas mea. Hinc Noster, Septuaginta et alii eum vocant non *Micha*, sed *Micheam*. Quocirca S. Ambrosius enarrat. 4 in *Micheam*, quæ exstat in fine tom II operum ejus: « Micheas, inquit, significat, quis a Deo; vel, ut alibi invenimus; quis iste? Morasthi filius heres. Quis autem heres, nisi Filius Dei, qui ait: Omnia mihi tradita sunt a Patre. Et cum ipse esset heres, voluit nos esse coheredes. Merito quis iste? non e populo unus, sed electus ad gratiam Dei, in quo loquitur Spiritus Sanctus. »

IN DIEBUS JOATHAN, ACHAZ ET EZECHIE. — Hinc patet Michæam paulo post Osee, Joel, Abdiam et Jonam cœpisse prophetare; sed cum iis perrexisset obire idem munus. Nam illi cœperunt sub Ozia, qui fuit pater Joathan. Joathan fuit pius rex, æque ac Ezechias; impius vero et idololatra fuit Achaz. Quocirca Michæam reveritus est, ejusque oraculis licet liberis et minacibus compunctus fuit Ezechias, uti narrat Jeremias cap. xxvi, 17 et seqq. Joathan regnavit annis 16, totidem Achaz; Ezechias vero annis 29. Quare si omnibus hisce annis prophetauit Michæas, sequitur eum prophetauisse annos 61. Verum ignoratur an cœperit primo anno Joathan, et an finierit ultimo Ezechie. Hinc utrinque demendo aliquot annos conjectat Arias eum quinquaginta plus minus annis prophetasse.

QUOD VIDIT. — Quod, scilicet verbum. Prophetia enim nunc vocatur *visio*, nunc *verbum*: quia Prophetæ eam oculis mentis videbant, et auribus mentis eandem a Deo loquente audiebant. Mens enim suas habet aures et oculos, sed mentales, non corporales. Quocirca in mente idem est audire, quod videre, scilicet cognoscere et intelligere: hinc prophetia mentalis nunc vocatur *verbum*, nunc *visio*, nunc dicitur *audiri*, nunc *videri*. De quo plura dixi *Isaia* 1, 1.

2. AUDITE, POPULI OMNES, ET ATTENDAT TERRA. — Hebræorum scilicet; hisce enim solis loquitur. Imitatur *Isaia*m, qui simili modo et patho oritur: « Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. » Pari modo, stylus Michææ similis est stylo *Isaie*; uterque enim elegans est, acer, concisus, patheticus. « Terra, » id est terræ hujus incolæ. Unde explicans subdit:

ET PLENTUDO EJUS. — Et significat *id est*: « plenitudo » sunt civis et indigenæ; hi enim urbes et pagos terræ implent; unde Septuaginta vertunt: *Et omnes qui in ea*.

ET SIT DOMINUS DEUS VOBIS IN TESTEM. — *q. d.* Dominus sit testis, quod scilicet ego secundum officium et munus prophetiæ et predicationis mihi a Deo commissum, vos meonem et corripiam de vestris idolis et sceleribus, clademque et exidium nomine Dei prædicam et intemem, *q. d.* Si superbi, rebelles et obstinati non pareatis hisce meis monitis et minis, ideoque peccatis, testor Deum me vos hæc de re præmonuisse, ac proinde

vos non mea, sed vestra culpa et obstinatione inexcusabiles perire; ut non mihi, sed vobis excidium vestrum adscribere debeatis. Hinc Chaldaeus vertit: *Sit verbum Domini Dei contra vos in testem*.

Aliter S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo et Lyranus, *q. d.* Testor Deum hanc meam prophetiam non esse meam, sed Dei; quod scilicet ego hæc non fingam, sed a Deo audiverim. Aliter quoque Rupertus, *q. d.* Testis sit Deus, quod ipse sua pacta vobiscum inita servaverit, vos vero eadem violaveritis; itaque culpa perditionis vestræ non Deo, sed vobis sit adscribenda. Verum prima expositio est genuina, ut patet consideranti antecedentia et sequentia. Ante enim citavit populum, ad audiendam Dei de ipsorum sceleribus sententiam: hic ergo Deum in testem vocat, quod illam sententiam eis indicari et prænnuntiar, ne causentur se non fuisse præmonitos. Sententiam Dei subdit dicens: « Quia ecce Dominus egredietur, etc., et calcabit super excelsa terræ, » etc.

DOMINUS DE TEMPO SANCTO SUO. — *q. d.* Dominus qui in cœlo quasi in templo suo augustus, omnique cultu adorandus residet, indeque contempletur terram, omniaque hominum opera; ipse sit vobis mihiq; testis, quod hæc ejus oracula et decreta vobis enuntiarim (1).

3. QUIA ECCE DOMINUS EGREDIETUR DE LOCO SUO. — Vers. 3. Hic incipit sententia et oraculum Dei, editum per Michæam. Anthropopathos dicitur Deus egredi et descendere de cœlo, cum in aere vel terra suum brachium et potentiam ostendit, ac mira novaque operatur: Deus enim quoad substantiam invisibilis est, tantumque videtur per operationem. Sicut ergo angelus dicitur egredi aliquo, cum ibi operatur (imo S. Thomas censet angelos non esse in loco, nisi per operationem; quod tamen alii merito et cum ratione negant: angelus enim, etiam si nihil operetur, est in certo et definito loco per substantiam suam), sic et Deus. Præsertim vero dicitur egredi, quasi iudex et vindex ad cognoscenda, judicanda et punienda gentium hominumque scelera: et quasi dux et antesignanus Assyriorum et Chaldeorum, similiumque gentium, quas Judæis aliisque populis immittit, ad hanc suam sententiam et vindictam exsequendam. Graphice hunc Dei quasi bellatoris in aciem contra hostes egressum poetica hypotyposi depingit *Psalm. xvii*, 10: « Inclinauit, inquit, cœlos, et descendit: et caligo sub pedibus ejus. Et ascendit super Cherubim, et volavit: volavit super pennas vulturum. Et intonuit de cœlo Dominus, etc. Et misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos. » Hinc Ezechiel, cap. 1, vidit Deum curru vectum et stipatum Cherubim ad bellum procedere, puta ad exidium Jerusalem.

(1) Referunt quidem aliqui hæc verba ad sequentia, quorum sententia legi potest apud Rosenmüller et Sanctium; red certe melius cum præcedentibus junguntur.

Aliter Rupertus : « Egre ditur, ait, Dominus de loco suo; » quia reliquit templum et Iudæam, eamque cedit Chaldeis. Sic Ezechiel vidit eundem templo egredi, cap. iii, 12; et in templo paulo ante adventum Tifi audita est vox : « Migremus hinc, » teste Josepho lib. VII *Belli*, cap. xii. Sic Gentiles, obsidentes urbem aliquam, ex ea certo carmine evocabant deos tutelares, ut ad se transirent, evocantes aliqui urbem capi non posse, teste Macrobio lib. III, cap. ix. Hinc Virgilius :

Excelsere omnes adytis, ariisque relicti,
Dii, quibus imperium hoc steterat :

significans jam actum esse de Troja, *Æneid.* II. Verum hoc mysticum est, non litterale, nec genuinum.

Symbolice S. Hieronymus, Hugo et Lyranus : Deus, inquit, egreditur de loco suo, cum punit et castigat; Dei enim proprium est misereri et parcere. Locus ergo et solum Dei est clementia. Cum ergo peccatis irritatus irascitur et flagellat, videtur de loco suo egredi, ac personam clementie deponere; imo naturam suam benignam exuere, et aliam, puta rigidam et severam, induere. Hoc est quod de Deo ait Isaias cap. xxviii, 21 : « Sicut in valle que est in Gabaon, irascetur; ut faciat opus suum, alienum opus ejus : ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo, » q. d. Opus vindictæ est peregrinum et alienum a Dei natura, que est ipsa benignitas et clementia, sed ad hoc opus quasi cogunt Deum impii per sua scelera.

ET CALCABIT SUPER EXCELSA TERRÆ. — hoc est calcabit excelsos et potentes, puta optimates Israel: hi enim metaphoricè vocantur « excelsa terre et montes; » sicut ex adverso plebem vocat « valles, » dicens :

Vers. 4. 4. ET CONSUMENTUR (hebraice נַמְסוּ *namassu*, id est colliguescent et dissolventur. Ita Tigurina et Pagninus) MONTES SUBTUS EUM (Deum scilicet, q. d. Deo calcante montes, id est potentes, illi sub eo instar montium fulmine ictorum liquescent, dissolventur et consumentur) : ET VALLES (id est plebèi) SCINDENTUR (Pagninus, *scindunt se*; Septuaginta, *tabescent*, id est liquescent et consumentur) SICUT CERA (scinditur et finditur, tabescent et liquescent) A FACIE (ab ardore) IGNIS, ET SICUT AQVE QUÆ DECURRIT IN PRECES (1). — Ita tam divites et po-

(1) Rosenmuller, qui consentientem habet Hitzigium, ad tertium et quartum membrum hujus versus, hæc scripsit: « Utrunque, inquit, non est referendum aut ad valles soles, aut ad valles et montes simul, sed prius ad montes, primo loco nominatos, posterior ad valles. Qualls exstat duplici similitudinis distincta relatio ad duplicem enuntiationem præmissam *Cant.* i, 5. Quemadmodum igitur cera igne admoto celerissime liquescit, ita scriptor colliguescens dicit montes accedente namina vitæ. Similiter sicut aquæ profuse in declivi diffunduntur et ita disparant, sic valles diffunduntur et tolluntur, ut per terræ motus fit frequentior. » Sed minus convenit, inquit Maurer, valles sese diffundentes

tes quam pauperes et plebii in Israel defluent, transibunt et ibunt in ruinam, juxta illud II *Reg.* xiv, 14 : « Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, que non revertuntur. » Est hæc sententia, ratio malicioris Theeitis, qua persuadet Davidi ut Absaloni condonet eadem occisi fratris Ammon, q. d. Vita hominum fluxa est : Ammon esto non esset occisus, sed virus, æque debuisset brevi mori, et Absalon brevi morietur; noli ergo, o David, exigere vindictam, quam natura ipsa brevi illi irrogabit. Quam enim, o rex, de filio tuo ultionem quaris? mortemne? At jam moritur : omnes enim quotquot homines sumus, quasi flumina præcipiti cursu devolvimur in mare mortis, que nobis est domus æternitatis. Aut postus, quasi pluvia dilabimur in terram, ab eaque sorhemur, ut nil ex ea remaneat, quod redire aut colligi possit, scilicet naturaliter. Comparat enim vitam nostram aquæ, non fluminis pertransuentis, sed pluvie dilabentis et evanescentis in terram.

Tropologicè, cum Deus suo gratie, illuminationis et amoris illapsus descendit in animam, illico ipsa instar cere liquefacta resolvitur, lacrymatur, inardescit, mansuescit, totaque se Deo resignat. Tunc consumuntur montes superbie, ambitionis omnisque vanitatis; æque ac valles pusillanimitatis, timoris, torporis, accedie. Ita David *Psal.* xxi : « Factum est, inquit, cor meum tanquam cera liquescens. » Et Isaias, cap. lxxv, 1 : « Unam, ait, dirumpes celos, et descenderis : a facie tua montes defluerent. Sicut existio ignis tabescent. » Pulchre S. Gregorius in illud *Cant.* i : *Osculetur me osculo* : « Cum, ait, ejus (sponsi) osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, et in ejus similitudinem illico liquefacta transformor. »

3. IN SCelere (ob scelus) JACOB (id est Jacobeorum, puta Judæorum) OMNE ISTUD (exitum quod jam dixi, eis irrogabitur), ET IN PECCATIS (id est ob peccata) DOMUS ISRAEL. — Nonnulli censent « Jacob » hic idem esse quod « Israel; » Jacob enim patriarcha lucens cum angelo, eique prevalens, vocatus est Israel, id est *prevalens Deo*, puta angelo, Dei vicario. Ad rhythmum ergo, et ad elegantiam carminis, æque ac ad auxerim, idem aliis verbis, inquit, Micheas nomine Dei repetit et inculcat, q. d. Scelera hæc Judæorum me exacer-

parari aquis effusis in loco declivi. Itaque nescio an rectius ad primum membrum cum tertio referam quartum quoque. Priorem quidem rationem postulare parallelismus videtur. Sed videtur tantum, quandoque enim satis habent Hebræorum scriptores observare parallelismum formalem. Cæterum non consilium adventantis numini, sed res circumstantes tantum describi hoc comitate judicat cum aliis Hitzigius, consilium adventus vers. 6 et 7 demum exprimit patens : quod recte judicatum mihi videtur. Attamen, cum vers. 5, *pro defluerit* *Jacob* omne hæc eveniet, dicat vates, possit jam hic vocata consilium adventus exprimere videri verbis improprie, quemadmodum idem vers. 6 et 7 expressit verbis propriis. (Maurer.)

bant et provocant ad vindictam, quia sunt scelera Jacob, id est posterorum Jacob, quem ita extulit, ut cum esset junior, Esau vero frater ejus esset senior, ipsum tamen seniori præstulerim et prælegerim, ejusque familiam mihi in populum et Ecclesiam asceverim. Nec tantum sunt scelera Jacob, sed et Israel, id est posterorum israelis, quoniam hæc gratia dignatus sum, ut in lucta cum angelo, ipsum angelo potentiorum efficerim; ideoque vocaverim eum Israel, id est dominantem Deo. Hæc enim beneficia, Jacobo patriarchæ collata, valde adaugent posterorum ejus a Deo apostasiam et ingratitude. « Jacob » ergo et « Israel » significant hic de more decem tribus a Jacobo prognatas et proeminatas, que idololatriæ fuerunt duces. Ita Romigius, Lyranus et Vatinius; aut certe, ut Albertus et Arias : « Jacob » sunt duodecim tribus, « Israel » decem, q. d. Omnes duodecim tribus peccarunt idololatriam, sed maxime decem, que duas reliquas infeccerunt; illas ergo primo, deinde duas puniam. *Secundo* et aptius « Jacob » hic significat decem tribus, « Israel » duas : Jacob enim prius et commune fuit nomen primi patriarchæ decem tribuum : Israel vero posterius et excellentius ejusdem fuit nomen, quod ab angelo, dum eum vinearet, adeptus est. « Israel » enim idem est quod dominans Deo : hinc significat duas tribus, que habebant urbem sanctam, templum et cultum Dei, ipsumque Deum intra se; unde ei quasi dominari videbantur. Sensus ergo est, q. d. Non tantum Jacob, id est decem tribus, sed et Israel, id est decem, puta Juda et Benjamin, quibus me meaque in peculium et quasi in dominium tradidi, a me desciverunt : ergo tam has quam illas puniam. Id ita esse patet ex explanatione quam subdit Propheta, dicens : « Quod scelus Jacob, » id est decem tribuum? « nomen Samaria? » q. d. Samaria, que est metropolis decem tribuum, fuit origo et causa sceleris, id est idololatriæ, cæteris urbibus decem tribuum, « et que excelsa Juda, » id est duarum tribuum? « nomen Jerusalem? » Hæc quos immediate ante vocavit « Israel, » hic vocat « Judam » : Judas autem significat duas tribus : illæ ergo hic vocantur « Israel, » et opponuntur Jacob, id est Samariæ et decem tribubus, q. d. Jerusalem que erat sedes regis, templi et Dei, eo derelicto, in excelsis montibus ædificavit altaria et sacella idolorum (que proinde pariter Excelsa vocantur) eoque ad sacrificia cultumque idolorum invitavit omnes populares suos Judæos, quod indignissimum est, summeque mihi injurium, ac longe magis quam idololatriam Samariæ, utpote que earebat templo et Deo. Ita Theodoretus, Rupertus, Ribera, a Castro et alii.

QUOD SCelus JACOB, etc. — Hebraice pro quod, est *quod* mi, id est quis. Unde Vatinius, Arias, Clarus et Pagninus vertunt : *Quis fuit causa transgressionis Jacob? nomen Samaron*, id est Samaria? *Et quis fuit causa excelsorum Juda? nomen Jerusa-*

lem? Vox quis notat reges et principes tam decem quam duarum tribuum, toti populo fuisse causam idololatriæ. Sic enim Jeroboam, primus rex decem tribuum, eadem idola, puta vitulos aureos, colere compulsi. Sic et duas tribus ad eundem colenda induxit Achaz, Manasses, et ante eos Salomon, q. d. Reges et principes, qui debant populo esse duces religionis et sanctitatis, eadem se duces præbuerunt idololatriæ et impietatis; dum in urbe regia, quo totus populus confluebat, crexerunt idola, eaque publice coluerunt, et populum ad eadem colenda verbo et exemplo pellexerunt. Unde Chaldeus veritè : *Ubinam scelus patrarunt domus Jacob? nomen in Samaria? et ubi peccaverunt domus Juda? nomen in Jerusalem?*

Ita hoc sæculo in Anglia, Transylvania, Dania, A regni Suecia, aliisque regnis et rebuspublicis vidimus has penitentiam schismatis et hæresis totius regni fuisse ipsos reges et principes a fide apostatantes, et herosim profitescentes. Ex adverso Italiam, Hispaniam, Franciam, etc., in vera fide persistere, quia semper principes habuerunt catholicos et orthodoxos. A rege ergo pendet regni fides, vel infidelitas; pietas vel impietas, salus vel damnatio. Notent hoc principes, sciantque pii se magnam in oculis gloriam et coronam, eo quod suis subditis causa fuerint salutis, adepturos; impii vero in gehenna se non tantum sua, sed et omnia subditorum scelera, quorum causa extiterunt, luituros. Hoc est quod graviter isdem inculcat Sapientis cap. vi, 6 : « Horrende et cito apparebit vobis (Deus judex et vindex) : quoniam judicium durissimum his qui presunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur, etc. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. »

6. ET POSUIT SAMARIAM QUASI ACERVUM LAPIDUM, etc. — *Primo*, Samariæ, utpote idololatriæ principii, penam intendat; *deinde* Jerusalem, que Samariam in scelere secuta est. Dicit ergo se Samariam urbem muris, domibus et palatiis magnificam, iis succensis et dejectis, redacturam quoad domos quidem et palatia in acervum lapidum, urbem vero ipsam in agrum sive campum, eo quod colligantur lapides in acervum, ut in eo plantari possit vinea. Cum enim aliquo in loco vinea plantatur, prius ex eodem lapides clapidari, id est ejici et extra eum in cumulum colligi, solent, ne vites et vitium germinationem impediatur. Apposita Samariam dicit vertendam in vineam, quia ipsa sita erat in monte vitifero, ac, antequam ædificaretur in urbem, fuerat vinea : in montibus enim ob reverberationem radiorum solis plantari solent vinee, juxta illud : « Bacchus amat colles. » Sensus ergo est, q. d. Evertam Samariam, adeo ut ipse locus sive mons vitibus conseruetur, fiatque vinea; ipsa vero superba Samariæ ædificia et muros per Chaldeos detrahant, et evertant usque ad fundamenta, adeo ut eorum lapides deiciantur et devolvantur in vallem subjectam, ibi-

Vers. 6.

que in acervum accumuluntur. Ita Theodoretus, Chaldaeus, Vatablus, Arias et alii. Simili modo de Jerusalem, sed plana et campestri a Chaldaeis evertenda, ait Micheas cap. iii, 12: « Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum. »

Duo ergo hic significat Propheta: primo, Samariam diruendam usque ad lapidum acervum; deinde secundo, hos lapides dejiciendos in convallem urbi subjectam, ut in ipsa urbe et monte jam elapidato plantentur vineae. Id ita esse patet ex hebraeo textu, qui sic habet: *Et ponam Samariam in acervum agri, in plantationem vineae, et impellam in vallem lapides ejus, q. d. Efficiam ut aedes Samariae corruant, sicut acervus lapidum, qui ejiciantur in vallem, ad hoc ut vineae plantentur in loco et monte, ubi nunc est Samaria. Ita Pagninus, Vatablus, Arias et alii; quin et Septuaginta: Ponam, inquit, Samariam in pomorum custodiam, in agro et plantatione vineae; et Chaldaeus: Ponam Samariam in acervos agrorum, domum desertam, in plantationes vineae. Id ita factum esse ex hoc loco liquet, licet id in libris Regum non enarretur; insinuat tamen. Nam IV Reg. xvii, 24, dicitur quod rex Assyriorum de Babylone traduxerit Cuthos: « Et collocavit eos, ait, in civitatibus Samariae pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus ejus. » Ubi nota, non dicit: « Habitaverunt in civitate, sed, » in civitatibus Samariae, et possederunt Samariam, » q. d. Cuthaei non tam habitaverunt in urbe Samariae, utpote jam eversa, et in agrum redacta, quam in civitatibus ei olim subjectis. Fateor tamen aliquos vel ut cives, vel ut colonos habitasse in loco urbis: nam et postea urbs ipsa reedificata est, utpote quam Hyrcanus postea diu obsedit, et tandem expugnavit soloque aequavit, teste Josepho lib. XIII Antiquit. xvii.*

Secundo, alii, praesente sumentes verba nostrae Latinae versionis, putant Prophetam his verbis non duo jam dicta, sed unum duntaxat; prius scilicet, quod Samaria redigenda sit in acervum lapidum, significare, ut sensus sit, q. d. Efficiam ut ex tanta urbe non maneat nisi acervus lapidum, similis illi qui fit ex vinea elapidata: nam cum plantatur vinea, locum elapidatum, et lapides extra illam in locum aliquem ejicimus, et coacervamus temere congestos: quae structura (ut ait Rupertus) cum cemento et calce careat, infirma est; nec lapis haeret lapidi: quare convenit optime Samariae, quae semper dissensit a Sione, et ipsa quoque intestinis dissidiis aestuans, gaudebat mutatione et interfectione regum suorum, inquit Delrio, *adagio* 986. Sic fere et S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Lyranus, Ribera. Alii sensus verus est, sed partialis tantum: prior ergo plenus est et perfectus, cumque exigunt Hebraea, Chaldaea et Septuaginta, quibus facile est Latinam versionem, exponendo eo modo quem paulo ante recensui, adaptare.

Nota: Pro acervum lapidum Septuaginta vertunt, *ἑπορεύσαντες*, id est pomorum custodiam: *Ponam* inquit, Samariam in pomorum custodiam, id est redigam eam in turgurium, quod in pomariis ex arundinibus vel stramine aut sarmentis erigi solet, ut in eo custos vigilet et excubet, ne fures poma fructusque furentur; quod proinde, fructibus collectis, evertitur vel comburitur, q. d. Pati modo per Assyrios Samariam magnificam et splendidam redigam quasi in antrum custodis, ut de amplissima urbe parvum turgurium vix remaneat, ait S. Hieronymus ad Suniam et Fretelem, in *Correct. Psalmorum*; quod deinde omnibus civibus et spoliis collectis et eductis, per eosdem evertam et comburam.

FUNDAMENTA EJUS REVELABO, — diruendo scilicet muros et aedes Samariae usque ad fundamenta: tunc enim necesse est fundamenta detegi et revelari. Est metalepsis.

7. ET OMNIA SCULPTILIA (idola quae nunc fingi, *vers. 7.* nunc dolari, nunc malleari, malleoque efformari, nunc fundi, nunc pingi, nunc sculpi solebant, idque saepius: unde vocantur *sculptilia*) EJUS CONDIDITUR — ab Assyriis, tum ut rapiant aurum, argentum, aes, etc., ex quo conflata vel sculpta sunt idola; tum quia Gentiles hostium suorum deos, pariter hostes suos aestimabant, et ut hostes concidabant.

ET OMNES MERCEDES EJUS COMBURENTUR IGNE. — Nota: Idololatram vocat, fornicationem; idololatras, meretrices, amasios, ipsa idola; merces seu quastus ex meretricio sunt fruges, opes et commoda, puta copia tritici, vini, lactis, mellis, etc., quae Samaritae alicuique idololatrae se a suis idolis percipere jactabant, aut quae ex commercio et amicitia Chaldaeorum et aliarum gentium idololatrarum percipiebant, juxta illud *Osee* ii, 5: « Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, » etc. Et *vers. 12*: « Corrumpan vineam ejus, et flevum ejus, de quibus dixit: Merces haec mea sunt, quas dederunt mihi amatores mei. » Sensus ergo est, q. d. « Omnes, » id est pleraque omnes (nam alicuae igni supersites remanserunt) mercedes, id est fruges et opes quas vel ab idolis, vel ab idololatris recipiebant meretrix, id est idolorum cultrix Samaria, comburentur ab ejus hostibus Assyriis. Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo et Lyranus. Rursus « comburentur igne, » parim proprio, partim metaphoric, hoc est diripiuntur, auferuntur, perduntur. Igne enim in Scriptura significatur omnis vastitas, et supplicii acerbitas. Unde sequitur: « Ad mercedes meretricis revertentur. » Ita Sanchez.

Minus congruo Theodoretus, Vatablus, Arias et Clarius per mercedes accipiunt oblationes, et dona ab idololatris oblata idolis, ad ea vel fabricanda, vel vestienda et oranda. Mercedes enim solent dari meretricibus ab amasis, non vice versa amasis a meretricibus. Meretrices autem hic sunt ido-

lolatrae, amasis vero ipsa idola; nisi quis dicat tantam fuisse impudicitiam harum meretricum, ut ipsae pretium sceleris amasis darent, non acciperent. Hoc est enim quod Hierosolyma improperat Ezechiel cap. xvi, 33: « Omnibus meretricibus datur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, et dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum (id est idololatrandum) tecum. » Verum hoc inistatum fuit et insolitum, ideoque illud exprimit Ezechiel; hic vero cum id non exprimat Micheas, locum habere non videtur: « mercedes » ergo solitas ipse intelligit, quas scilicet meretrices accipiunt ab amasis, id est idololatrae a suis idolis; non vero eas, quas iis dant.

QUIA DE MERCEBUS MERETRICIS CONGREGATA SUNT (non idola, sed bona et opes Samariae. Unde Hebraeus, Septuaginta, Pagninus et Vatablus habent: *Quia de mercede meretricis congregavit ea quae habet, puta suas opes*) ET (id est *idcirco*) USQUE AD MERCEDEM MERETRICIS REVERTENTUR, — q. d. Quia Samaria meretrix, id est cultrix idolorum, putat se ab iis pro hocce suo cultu recepisse suas fruges et opes, idcirco efficiam ut ille pariter ad meretrices, id est ad Assyrios idolorum cultores, ut vertit Chaldaeus, qui vastabunt Samariam, transferantur et redeant, qui eas uti idololatrae mercedes, suis idolis acceptas referant et consecrant.

Alludit, primo, ad priscae meretricis, quae primitias turpis sui lucrī Veneri, meretricum deae et principi, consecrabat, ut de Babyloniis docent Herodotus lib. I, et Clemens Alexandrinus, *Adhort. ad Gentes*; de Cypris Arnobius, lib. V *Contra Gentes*; de Phoeniciis S. Augustinus lib. III *De Civit. x*: « Tres, ait, Veneres: una virginum, quae etiam Vesta est; alia conjugatarum; alia meretricum, cui etiam Phoenices donum dabat de prostitutione filiarum, antequam jungerent eas viris. » Idem docet Baruch cap. vi, 42 et 43. Rursus olim deorum et templorum donaria meretricibus fuisse data docet ibidem Baruch, *vers. 40*: « Dant, inquit, et ex ipso (auro deorum) prostitulis, et meretrices ornam: et iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos suos. » Idem docet Ezechiel cap. xxiii, 42: « Posuerunt, ait, armillas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus eorum. » Idem testatur Athenaeus lib. XIII, cap. xxviii. Porro non solum mercedes meretricum olim diis oblatae fuisse, sed etiam ex iis idola deoquae esse fabricata testatur Arnobius lib. VI *Contra Gentes*. Videt hic idololatrarum et demonum obscenitatem et turpitudinem. Recte enim Tertullianus lib. *De Habitu mulieris*: « Nullus, ait, rei turpis merces decora est. »

Alludit, secundo, ad opes meretricum ex meretricum collectas, ex quibus illic nunquam ditescunt, sed semper manent misellae et pauperes; vel quia sunt prodigae in epulis et vestitu, resque suas turpiter partas in luxu consumunt; vel quia illas idcirco spoliavit amasii, vel aliae meretrices:

omnes enim sua quaeerunt lucra, idque subinde per fas et nefas; praerunt luxuriosi, qui jam justitiam et conscientiam proderunt; vel quia morientes suis filiabus, aut cognatis quasi haeredibus, quae pariter meretrices sunt, bona turpiter parta relinquunt. Dicit ergo, sicut bona meretricum vadunt ad meretrices, ita bona Samariae meretricis, id est idololatrae, ibunt ad meretricem Niniven, quia Assyrii idololatrae spoliabant Samaritas pariter idololatras suis bonis.

Hic verum est proverbium: « Male parta, male dilabuntur. » Et illud: « Salis onus unde venerat, illic abiit; » quod adagium natum est ab eventu. Negotiator enim quidam navem onustam sale vehebat: nautis dormientibus influxu aquae marinae sentina vehementer adaucta, et salem universum solvit ac corruptit, et navem ipsam demersit, itaque sal, quod ex aqua marina natum fuerat, in eamdem quando liquefactum rediit. Vero Hesiodus monet: « No male lucreris, mala lucra aequalia damnis. » Discant hoc ab ethnico christiani, lucrum non esse quod factura bonae mentis comparatur; neque quidquam esse utile, quod non sit honestum: « dispendio enim est fraude questum lucrum. Et turpe lucrum adducit infortunium. » Atque, ut ait Pindarus in *Isthmis*: « Quod preter justum dulce est, exitum habet amarissimum. »

Rursus ad mercedem meretricis revertentur, duo significat: primo, turpia lucra lucrantibus esse inutilia, et ab iis ad alios transire; secundo, eadem carere omni decore et dignitate, nec ad usum honestos impendi, sed a turpibus ad aequae turpes et infames, puta a meretricibus ad meretrices traduci.

Quocirca haec lucra a suo templo ejusque oblationibus quasi eo indigna repulit Deus, *Deut. xxiii, 18*: « Non offeres, inquit, mercedem prostituli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui: quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum. » Idem fuit sensus gentilium Romanorum. Cum enim Flora (ex cuius nomine etiamnum Romae campus Flora nuncupatur), nobilis meretrix, ex arte meretricia magnas opes comparasset, ac populum Romanum scripisset haeredem ea lege, ut ejus dies natalis quotannis celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia, senatus id turpe et flagitiosum visum est. Quocirca ut pendendae rei quaedam dignitas quasi velum daretur, fixerunt Floram esse deam quae floribus praesit, eamque oportere placari, ut arbores, vites frugesque bene prospereque florescerent. Ita Varro lib. I *De Re rustica*, cap. xxiii, et Plinius, lib. XVIII, cap. xxxix.

8. SUPER HOC PLANGAM, ET ULULABO: VADAM SPOLIA. — *vers. 8.* TUS ET NUDUS, — ut hoc habitu lamentabili et desperando, tum tester intimum dolorem animi quem concepit ex vastatione Samariae; tum reipsa significem et representem quod Samaritae simili modo ab hostibus Assyriis spoliantur sint, ac nudi

Moraliter
turpi in-
cro neque
ditatur.

Turpo
lucrum
non ad-
mittit
tem-
plum

vel seminudi ducendi sint in captivitate: eadem de causa Isaius inaccess nudus et discolatus per Jerusalem, ut dixi Isaiæ cap. xx; tum denique ut indicem plagam Samariæ fore maximam, quæ usque ad portas Jerusalem pervenit, uti mox dicam. Quocirca Septuaginta et Chaldaeus hæc verentes per tertiam personam, ipsi Samariæ attribuant, quia ejus personam induit hic Propheta. Sic enim habent Septuaginta: *Propter hoc planget (Samaria) et lamentabitur, ibit discolata et nuda: faciet planctum quasi draconum, et luctum quasi filiarum Sirenum.* Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Lyranus, Arias, Vatablus et alii. Addunt aliqui, *spoliatus*, scilicet tam mente quam veste, q. d. Tanta erit clades Samariæ, tantumque eam apprehendo et pondo, ut videar emotus mentis, et mente captus; ideoque veste me spolio, et quasi insanus huc illucque discuro plorans et ejulans. Denique S. Hieronymus putat hæc dici ex persona Dei, quasi ejus vicem hic subeat Propheta, ostendatque quam Deus doleat de populi sui clade, quomodo invitum eam immitat vel permittat; quod sane miram Dei clementiam et charitatem anthropopathice significat et commendat. Verum verius et magis genuinum est hæc ex ipsius Michææ persona dici, uti paulo ante explicui.

Nudus, — puta discussis vestibus, uti fiebat in luctu, laeæ, postea veste extrema et honorata. Sic pannosus et laeærum vocamus nudum per auxesim, quia est seminudus.

PLAGAM PLANCTUM VELUT DRACONUM. — Tradunt physici, ait S. Hieronymus, dracones certare et pugnae et duellare cum elephantis, et, si ab eis vincantur, terribili sono perorare. Draco enim, cum sit calidissimus, sicut elephantis sanguinem, qui frigidissimus est, soletque aestu torrens, cum tanta sit magnitudinis, totum ejus sanguinem ebibere, si eum vincat: unde fit elephantis ab eis ebibi, sieatque concidere, qui ruentes dracones sanguine jam ebrios et turgidos, mole sua opprimunt, cognuntque hostes suos secum emori, tumque dracones magnas et lamentabiles voces emittunt. Ita Solinus cap. xxxvii *Polyhist.*, et Plinius lib. VIII, cap. xi (1). Et hoc est quod ait hic Pro-

(1) Ludolfus in *Comment. Hist. Ethiop.* pag. 159, draconibus hoc loco mallet crocodilos intelligi, quos plorare et plangere veteres crediderunt, unde proverbium *de lacrymis crocodili.* Verum omnino non est hic cogitandum de draconibus, si enim dicuntur *plangere* *tanquam*, a singulari *plangit* *tanquam*, *Jesaj.* xxvii, 4: *pro quo* *Ezechiel*, cap. xxx, 8, et xxxii, 8, adhibuit singulari *plangit* *tanquam*. Contra nestrum *plangit* *tanquam* est pluralis nominis *plangunt*, quod *canem ferum*, Persis *Schagat*, Arabibus *ibn arvi* (unde hebraum *אִיבָרִים*, *Jesaj.* xiii, 22; *Jerem.* I, 39) dictum significat, argumentis solidis evictis, notat Et. Pocockium in Commentario ad hunc locum, Schürzerus in *Dissert.* pag. 823 et seqq. *Canem ferum* seu *Schagalem* expresserunt nostro loco Chaldaeus et Syrus. Hæc vero bestia aptissime comparatur qui acerbum fletum tollit. *Uliad* enim, teste Damiro, Arabæ apud

pheta: « Faciam planctum quasi draconum. » Ita S. Hieronymus, Remigius et Rupertus. Addit Rupertus hæc phrasim significari planctum inutilem, quem scilicet etsi Samaritæ audiant, nemo tamen misericordia tangatur; sicut nullus condolet draconem plangentem. Ex adverso Palacius, citans Albertum, Solinum et Plinium, scribit voces has draconum tantas esse, tamque vicinos consternare, ut qui illas audiunt, emoriuntur. Verum hoc fabulosum videtur.

ET LUCTUM QUASI STRUTHIONUM. — Hebraice, quasi *struthionis*; struthiones enim femine magis quam mares clamose, magis quoque lugubrem edunt vocem, presertim cum pullos alunt et perdunt. Tigurina, ut *juvenes struthiones*. Pulli enim struthionum quasi a parente derelicti, imo contempti, ut ait Job cap. xxxiii, 14, et Jeremias, *Thren.* iv, 3, miserabiliter ejulant, uti faciunt et pulli corvorum a parentibus nido ejeti, de quibus *Psal.* cxlvi, 9: « Qui dat juvenis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. » Rursum scribit *Helianus* lib. XXV, cap. vii, xix et xx, struthionem feminam valde amantem esse pullos, ac habere carnes præ mare gustui suaviores; quocirca venatores, ut eam capiant, solere circa nidum ferrea hastilla defigere, quibus in nidum transilire volens, mater sese induit, occiditur et capitur; tumque flebiliter stridet et luget: unde struthio hebraice vocatur *רִצְצָא* *iaana* a luctu, a radice *רִצַּץ* *ana*, id est afflictus est, oppressus est, indoluit, ingemuit.

Dices: Si struthio est adeo filiorum amans, quomodo ergo hic, et *Thren.* iv, 3, vocatur « in eos crudelis? » Respondent aliqui patrem esse crudellem, matrem vero benignam in filios. Melius alii respondent matrem vocari *crudellem*: primo, quod ova quæ posuit, incubando non fovet, tum quia, ut ait Plinius lib. X, cap. liv, in pectore et ventre calva est et implumis: sine plumis animæ nequit fovere, calefacere et vivificare ova; ergo ea sola et arenæ calefacienda relinquunt: unde Dei providentia in calidissimis tantum regionibus, Syria scilicet et Arabia, struthiones inveniuntur; tum hæc mole corporis ova frangat: est enim magnitudine camelæ, atque altitudine, collo et cruribus camelum refert; unde struthio *camelus* vocatur, inquit Diodorus Siculus lib. III. *Secundo*, quia pullos non pascit, eo quod natura aliter provididerit: id enim expresse ait Job cap. xxxiii, 14, et *Thren.* cap. iv, 3; alia tamen amoris ma-

Bochartum (*Hieroz.* part. I, lib. III, cap. xii, tom. II), noctu, idque potissimum, cum tristis est, aut manet solus. Ejus porro ululatus infantis vagiti similis est. Et Olearius in *Itiner. Nisoco.* et *Pers.* pag. 216, ubi de provincia Schirvan: « Hæc vulpium genus est, inguit, quos *Schamit* vocant, ejusdem cum Europæis magnitudinis, quibus lana est pro pilo, venter albus, aure nigra, cauda minor, quam nostestium. Has per noctem audiebamus circa pagos oberantes, assiduo clamore, eoque protracito, et quasi lugubri nobis obtundentes. (Rosenmüller.)

terni signa pullis exhibet. Ita ex *Heliano*, Plinio, Oppiano, Olympodoro et aliis, Pineda in *Job* cap. xxxiii. Denique Franciscus Valesius lib. *Saceræ Philos.* cap. lv, asserit illa quæ *Helianus* et alii gentiles scribunt de struthionum amore erga pullos, esse fabulosa et falsa, quia repugnant S. Scripturæ locis jam citatis, quibus in eos dicuntur esse crudeles.

Perperam R. David verit: *Faciam luctum quasi filiarum ulularum.* Hebræum enim *רִצְצָא* *iaana*, nusquam ululas, sed struthiones significat. Septuaginta verunt: *Faciam luctum quasi filiarum Sirenum.* Alludunt ad fabulam Sirenum, ait Theodoretus. Fingunt enim poete Sirenes partim virgines fuisse, partim volucres Acheloi fluminis et Callopes Musæ filias. Harum una voce, altera tibis, alia lyra canebat; et primo juxta Pelorum, postea in Caphareis insulis habitaverunt, quæ illectos suo cantu in naufragia deducebant. Secundum veritatem meretricis fuerunt, quæ transire illiciebant ad sui amorem, et amore captos spoliabant: unde fletu sunt illis inferre naufragium, quia eos deducebant ad egestatem, ut bonorum, et sanitatis, sepe etiam vite, naufragium facerent: has Ulysses contemnendo, et aures obtundendo ne eorum cantu illiceretur, deduxit ad mortem. Ita Servius in illud *Æneid.* v:

Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat,
libidinis quondam multorumque ossibus albos.

Unde Siren vel Sirena dicta est ab *σῆρα*, quod comedere et retinere significat; vel a *σῆρα*, id est catena, eo quod Sirenes fuerint vinculum et catena libidinis. Quocirca S. Hieronymus mystice per Sirenes earumque cantum accipit hæreticos eorumque eloquia: « Dulcia enim sunt, ait, hæreticorum carmina, et dulci voce populum decipiunt; nec potest eorum cantica preterire, nisi qui obturaverit aurem suam, et quasi surdus evaserit, » uti fecit sapiens Ulysses.

Dices: Hic erat cantus Sirenum, non luctus. Respondeo: Sirenes, æque ac preficæ, uti sciebant canere, ita sciebant et lugere ac plangere: sicut etiamnum meretricis norunt artem utramque, et amasios subinde magis plangendo, quam canendo detinent, ne se deserant, et amores inchoatos abruptant. Propheta ergo, æc affectu in dives suos, se quasi transformat in Sirenum; ut eis nunc blandiendo, et suavissime concinendo; nunc miserabiliter lugendo et lamentando in animos eorum infuset, eosque moveat ad penitentiam. Qui enim animas vult convertere, Siren sit oportet instar S. Pauli dicentis: « Filii mei quos Hierum parturio, donec Christus formetur in vobis; vellem autem esse apud vos modo, et imitare vocem meam, quoniam confundor in vobis, » *Galat.* iv, 19. Aliter S. Cyrillus: ipse enim per Sirenes accipit passeris marinos, vel philomelas, quæ, rapis oviv vel pullis, lugubre me-

los fundunt, cum alias suavissime canant instar Sirenum.

9. QUIA DESPERATA EST PLAGA EJUS (Samaritæ). *Vers. 8.* *gam* vocat stragem illatam ab Assyriis, indeque nascentem famem et pestilentiam, quia venit usque ad Iudam, tetigit fontem populi mei usque ad Jerusalem. — Nam excisa Samaria anno 6 Ezechie a Salmanasare rege Assyriorum, mox anno 14 Ezechie, Sennacherib, qui successit Salmanasari, ut proserpens et ullerius progrediens, venit in Judæam, multasque urbes cepit, ipsamque Jerusalem obsedit, sed ibidem ab angelo cecus est, IV *Reg.* xviii et xix. Ita S. Hieronymus et Theodoretus.

10 (1). IN GETH NOLITE ANNUNTIARE, LACRYMIS NE PLORETIS, — ne scilicet Gethæ aliique Philistinii hostes vestri videant vestram cladem et dolorem, indeque lætentur et exultent. Sic David, occiso Saule, ait: « Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in campis Asealonis: ne forte lætentur filie Philistinum, ne exultent filie incircumcisorum, » II *Regum*, cap. i, 20. Septuaginta verunt: *Qui in Geth, nolite magnificare: qui in Bachim, nolite revalescere ex domo derisum.* Retinent enim Hebræi *Bachim*, quasi nomen proprium, quod ceteri omnes interpretes transferunt *fletum*, ait S. Hieronymus. Pro *Bachim* perperam, ut videtur, Theodoretus et alii legunt *Enakim*, quasi Gethæ ex Enac gigante sin' procreati: unde Goliath quem occidit David gigas fuit et Gethæus.

IN DOMO PULVERIS PULVERE VOS CONSPERGITE. — Pro *pulveris* hebraice est *אפר* *aphra*, quod dupliciter potest accipi: primo, ut appellativum significans pulverem; secundo, ut proprium nomen urbis in tribu Benjamin, *Josue* xvii, 23, vel alterius in tribu Manasse, quæ latine dicitur *Ephra* (Hebræum enim *Ephra* idem est quod *Aphra*), fuitque civitas Gedeonis, in qua ipse habitavit et sepultus est, ubi et accepit signum victoriæ contra Madian in vellere, *Judic.* vi, 11. Utroque modo hic accipi potest. *Primo*, appellative, q. d. O Samaria, cum uribus tibi subjectis, et jam non tam Samaria, id est custodia, vocanda es, quam *Aphra*, id est pulvis; quia brevi ab Assyriis in cinerem et pulverem redigeris: luge ergo, et pulvere te consperge. *Ece* in spiritu video te in pulverem redactam; inter ruinas ergo pulveris pulvere te involve: vos ergo, o Samaritæ, nolite plangere vestram cladem apud Gethæos aliosque Philistinios, qui vos irridebant, sed domi privatum pulvere domorum vestrarum in pulverem redactarum vos aspergite; quia reipsa vel inviti earum pulvere, dum deficiuntur, mox aspergemini. Ita

(1) Hic S. Hieronymus ad finem usque capitis impeditos invenit nexus, et tenebras usque adeo crassas et obscuras, ut ad illas discutendas accessu sibi postulat Spiritus Sancti lucem. Has difficultates sine dubio effudit S. Hieronymus in paronomasiis, quæ ab hoc versu usque ad finem capitis cumulantur, quibusque Hebræi magis delectabantur.

ex Septuaginta et Chaldaeo S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Albertus, Lyranus, Emmanuel et alii; unde Septuaginta verunt: *Terra, aspergite derisum vestrum*, licet alii legant, in *derisum*; Syrus verit, *in domibus collectionis residui* (est in areis, ubi residuum tritici cum paleis et terrae pulvere miscetur), *conspergite vos pulvere, q. d. In areis arenis vos conspergite.*

Secundo, Aphra, id est pulvis, hic ut nomen urbis Samariae subjectae proprium accipiunt Hebraei, S. Hieronymus in textu Commentarii, Arias, Clarius, Vatablus, Mariana et Pagninus, qui verunt: *Propter domos Aphra in pulvere voluta, vel involte teipsam*. Hebraeum enim *palas* significat volutare, involvere. Unde et Biblia Latina Romana \rightarrow *Pulveris*, uti et sequens, *Pulchra*, scribunt littera majuscula, quasi nomen proprium; ut sensus sit, *q. d. Non est, o Samaritae, quod in Geth ad plangendum abeatis, ite potius ad vestram urbem Aphra: illa iuxta nomen suum monerit vos luctus et pulveris, cumque vobis suggerat, ut illo vos conspergatis*. In Aphra ergo aphra, id est pulverem vobis injicite; imo pulvere vos obruite, quia Aphra aequae ac Samaria pulvere ab hostibus obruenda, imo in pulverem convertenda est. Simili paronomasia apposite quis diceret: *O Lutetia, ob peccata tua et clades tibi imminentes, luto te asperge*. O Lima in America, limo te consperca. O Sinae, cinere vos opple. O Africa, in arca arenam tuam tibi affrica. Nota, pro *conspere*, in Hebraeo est duplex lectio. Alii enim legunt *התפלתו hitpallasi*, id est conspergere, vel consperge to. Alii legunt *התפלתו hitpallasi*, id est conspersi me, involvi me pulvere, ut Propheta susineat hic tyrum Christi, qui in domo pulveris, id est utero Virginis, pulveri nostro se involvit, ait Mariana. Unde

Allegorice, Christus in domo pulveris, puta in terra, in utero Virginis, pulvere mortalitatis nostrae se conspersit; imo pulverem hunc induit, quasi poenitentiam pro peccatis nostris acturus. Nam domus pulveris est terra, in qua ob peccatum Adae ad mortem damnati degimus; item corpus hoc mortale, eadem de causa brevi in pulverem redigendum. Ad haec Ecclesia, quae quasi domus poenitentiae in die Ginerum pulvere nos aspergit, ut nos nostrae sortis et mortis memores reddat, et a carnalibus deliciis avocatos ad caelestia transferat. Tunc ergo recte dicit cononator fidelibus: *In die et in domo cineris et pulveris, cinere et pulvere vos aspergite*. Hinc

Tropologie, o Adam adama, id est, o homo humo, in aphra, id est in terra, ob peccata te asperge; nam terra et humus es, et in terram reverteris. Pulvis et umbra sumus. Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Quia ergo in terra et pulvere degis, ubi, ut ait S. Leo serm. 4 *De Quadrag.*, «necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere.» Hinc in Quadages *ma*, imo singulis hebdomadibus,

imo quotidie vespere dum vadis cubitum in incertum, nesciens an sequens mane sis visurus, sed ipsa nocte suffocandus et moriturus, uti multis contigit, et etiamnum contingit, conscientiam examinandis, quasi coram iudice illa nocte compariturus, pulvere te consperge. Imitare Davidem dicentem: «Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.» *Psalm. vi. 7.* Et: «Quia cinerem tanquam panem manducaban, et potum meum cum fletu miscebam, a facie irae et indignationis tuae, quia elevans allisisti me,» *Psalm. ci. 10.* Imitare amicos Iob, qui videntes ejus afflictionem, «exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in caelum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus,» *Job ii. 12.* Imitare Jeremiam dicentem: *Thren. iii. 16*: «Fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere;» et vers. 29: «Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes;» et cap. ii. 10: «Sederunt in terra, contulerunt senes filiae Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem.»

11. Et TRANSITE VOBIS (hebraice, *transi vobis*, id est tibi, tuisque civibus, id est vobis. Est enalage numeri: et \rightarrow vobis vel elegantia, vel emphasis causa ad majus pathos additur) HABITATIO PULCHRA. — Hebraice, *habitatio Sappir*. \rightarrow Sappir, aequae ut Aphra, accipi potest dupliciter: primo, quasi appellativum, significans pulchra, ut sit epitheton Samariae. Haec enim in ameno monte sita, exterius pulcherrimos hortos et campos, interius pulcherrima palatia, domos, turres, plateas et muros suos, uti caudam suam ocellatam circumspicit pavo, circumspiciebat, *q. d. Vos, o Samaritae, transite* (id est brevi transibitis) *captivi in terram hostilem; vos, inquam, o habitatrix Sappir, id est pulchrae; hoc est, vos, o incolae pulchrae et elegantis Samariae.* Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Rupertus et alii. Unde Chaldaeus verit: *Transite vobis qui habitatis in pulchritudine, discoperitis varentis nudi et nudifecti*; Arabicus: *Fae tibi habitationem pulchram*; Syrus, *Fae tibi, habitatrix, quod pulchrum est, quod sit pulchrum.*

Secundo, Sappir, ut nomen proprium urbis accipiunt Clarius, Pagninus, Mariana et Vatablus; unde verunt: *Transi*, id est abi cum tua metropoli in captivitatem, *quae habitas in Sappir*, jam non *sappir*, id est pulchra, sed feda et tuda, ideoque *confusa ignominia, q. d. Jactabas, o urbs Sappir, te pulchram et sapphiram, et ecce tuda te conspurcata es, et lutea.* Sic ex adverso gloriabatur Augustus Caesar, teste Suetonio, «quod invenisset Romam lateritiam, et relinquere marmoream.» Sic primariis Italiae urbibus singulis singula haec dantur elogia: *Fiorenza bella, Venetia ricca, Neapoli gentile, Milano grande, Bologna grassa, Ferrara civile, Genoa altiera, Perugia san-*

guigna, Mantua gloriosa, Rimini buona, Luca industriosa, Roma santa. Florentia ergo est *Sappir*, id est bella et pulchra. Sic Carolus V de Belgio dicere solebat opes suas esse in Flandria, delicias in Brabantia, nobilitatem in Hannonia, vires in Arthesia. Et de Brabantie urbibus: Mechlinia pulchra, Antuerpia dives, Lovanium sapiens, Bruxella nobilis; *Sappir* ergo idem significat quod Ninive, id est speciosa et pulchra. Sic in Belgio et alibi sunt urbes, quae vocantur Bella. Dicit ergo, o *Sappir*, jam cum tuis sororibus, id est Samariae civitatibus, vastata ab Assyriis, cum Noemi illa olim pulchra: «Ne vocetis me Noemi, id est pulchram; sed vocate me Mara, id est amararam, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens,» *Ruth i. 20.* Idem dicit Belgium, Hungaria, Bohemia, etc. Idem dicit anima olim casta et templum Dei, nunc incesta et prostibulum diabolii. Porro, sicut filia Sion dicitur ipsa arx et urbs Sion, ob pulchritudinem; ita habitatrix Sappir, vocatur ipsa urbs Sappir, puta populus et respectiva habitans in Sappir: de populo enim ob pulchritudinem loquitur Propheta quasi de femina.

Queres, quemnam urbs est *Sappir*? nam hoc nomen alibi non invenitur. Respondeo, *Sappir* (ut patet ex radice et scriptura hebraica) idem esse quod Saphora, vel Saphorme, vel Saphoris, vel Sephoron (haec enim omnia sunt idem) quae Hegesipho et S. Hieronymo est Diocæsarea. De qua sic Adrichomius in *Descript. Terræ sanctae*: «Urbs est opulenta et totius Galliae maxima, in medullio regionis tutissimo loco sita; arce, portis, moenibusque firmissimis munita, et habens circa se vicos plurimos. (Annon haec erat Sappir pulchra?) Natalis, ut putatur, locus B. Joachin atque Annæ, Deiparæ Virginis parentum. Hanc Cibirius unam ex Judaeorum curiis esse voluit: eandem Varus cepit, et venditis sub hasta incolis, incendio absumpsit: Herodes autem totius gentis caput et defensaculum fecit. Videtur quondam cathedralem habuisse ecclesiam. Nam Tyrus in Catalogo Pontificum suffraganeorum Antiochenæ Ecclesiae, inter Episcopatus Seleuciae Diocæsaream secundo nominat loco.»

NON EST EGRESSA QUAE HABITAT IN EXITU. — Hebraice, *quae habitat in Saanan*. Rursum *Saanan* accipi potest vel ut nomen proprium urbis, ut sit eadem cum *Sanan*, quae fuit urbs tribus Judae, *Josue cap. xv. 37*; vel potius eadem cum *Senim*, vel *Saananim* vel *Sennanim*, quae fuit urbs in tribu Nephtalim, subjecta Samariae, ut patet *Josue xix. 33*; *Judic. iv. 11*. Ita Septuaginta, Chaldaeus, Vatablus, Pagninus, Emmanuel, Mariana et Clarius. Unde et Biblia Plantina \rightarrow *In exitu scribunt majuscula I*, quasi sit nomen proprium; vel ut appellativum, a radice \rightarrow *tsan*, id est exivit; vel a radice \rightarrow *tsaan*, id est translatus est: littera enim *ain* et *aleph*, quia gutturales, subinde

commutantur. Symmachus verit, *abundantiam*; sic enim habet: *Non est egressa* (in captivitatem), *quae habitat in abundantia*, quasi \rightarrow *tsaan tsaan* per *tsade*, sit idem quod \rightarrow *tsaan saanan* per *schin*. Unde Interpretes utrumque verunt, *Saanan*; nam *tsade* et *schin* sunt litterae commutabiles. Unde *prax tsachac* idem est quod *prax sachac*, id est risit. Septuaginta pro *Saanan* habent *Sennaar*, mendose ut videtur; nisi dicas *Sennaar*, id est *Babylonem*, ab eis vocari *Saanan*, quia opibus, luxu et pompis abundabat. Si accipias *Saanan* ut appellativum, sensus erit: *O Samaria, quae habitas in saanan*, id est in rerum omnium copia et abundantia, ideoque insolescis et protervis. Rursum in *saanan*, id est in exitu, id est in fine Terrae sanctae, *q. d. Quae es limes Chanaanæ, proxima hostibus, primaque Assyriis venientibus occurris, repete verbum transite quod praecessit, vel, ut hebraice est, transi, q. d. Transi in captivitatem, tam tu, o habitatio Sappir, id est pulchra, quam tu, o habitatio Saanan, id est in exitu, quae hactenus non est egressa, nec transit in captivitatem: sed jam eo egredietur et transibit, vel certe, ut S. Hieronymus: «Non est, inquit, egressa, quae habitat in exitu vel in abundantia (puta Samaria) propria voluntate, sed vi ducta est in Assyrios.» Sensus est: *Ne putes, o Samaria, te captam a Teglatphalasar, qui, IV Reg. xv. 29, aliquos ex te cepit, quasi tunc omnem ponam tuis sceleribus debitam persolveris, nihilque amplius tibi luctendum restet. Si id putas, falleris: nam ille te tantum rasit superficie tenus, non vero te abduxit: necdum ergo egressa es, egredi debes, et abduccenda es in Assyrios tota, ita ut nemo ex te, vel vix ullus in Samaria supersit. Ita S. Hieronymus, Remigius et Lyranus. Aliter Rupertus et Arias: ipsi enim haec accipiunt de Jerusalem, non de Samaria, q. d. O Jerusalem, quae habitas in saanan, id est in copia et luxu rerum omnium, ita securam ut etiam visa clade vicine Samariae, ad eam vel levandam, vel plangendam, vel consolandam non exieris, sed domi voluptatibus indulgens et immersa manseris, putans eas tibi fore firmas et perpetuas, nec aliquem te ab his posse abducere et avellere: tu, inquam, o Jerusalem, egredere pariter in Babylonem, ac disce tuam copiam non fuisse saanan, id est securam et firmam, sed te habitasse in saanan, id est in exitu, id est in via qua abduceris in Babylonem vicinam hosti, vicinam captivitatibus.**

Si, secundo, *Saanan* accipias ut nomen proprium, similis erit sensus illi quem jam dedi, *q. d. O Saanan, civitas felix, hactenus fuisti saanan, id est abundans opibus et luxu, sed non fuisti saanan, id est egressa; jam quasi Saanan egredieris cum tua matre et metropoli Samariae, ex patria in exsilium, ex libertate in servitutem, ex copia ad inopiam, ex vita ad mortem.* Unde Chaldaeus verit: *Non esierunt salvi de habitatoribus Saanan*. Perperam Syrus pro *Saanan* legit, *Taneos*; unde

verit: *Confusio non fuit, habitatrix Tanos, id est Ægypti, cuius olim metropolis erat Tanis, Psalm. LXXVII, 42.* Porro Pagninus, Vatablus et alii hæc referunt ad sequentia, verumtamen hoc modo: *Non est egressa habitatrix Saanan ad planctum Bethaetsel urbis vicina, sed jam egredietur ad captivitatem et ad planctum non alienum, sed suum. Melius Noster et Septuaginta, et Chaldaeus hæc dividunt, et medio hypocolo dispungunt. Unde sequitur:*

PLANCTUM DOMUS VICINA (ita Romana: male ergo aliqui legunt, vicina) ACCIPIET EX VOBIS, QUE (male ergo aliqui legunt, qui) STETIT SIBIHEI. — Pro domus vicina hebraice est *Bethaetsel*, quod æque ut *Bethaetsel* accipi potest dupliciter: primo, ut procedentia accipi potest dupliciter: primo, ut nomen proprium loci, qui videtur vicinus fuisse urbi *Sanaan* jam dicta, ut censent Theodoretus, Pagninus, Vatablus, Arias, Mariana et alii. Sensus est, q. d. Urbs *Bethaetsel*, que est vicina urbi *Sanaan*, ex ejus vastatione planctum accipiet, quia mox et ipsa vastabitur; ipsa, inquam, « qua stetit sibihei, » vel in se ipsa, id est confidens sine munitioni suisque viribus, diutius resistit hosti eam obsidenti; unde hostis eam capiens graviter eam affliget; ut dama tam longæ obsidionis sarcia et compenset. Est synecdoche: ex parte enim intelligit totum, puta ex una urbe *Bethaetsel* totam provinciam Judææ. Unde

Secundo, *Bethaetsel* accipi potest ut appellativum, significans idem quod « domus vicina, » et sic per eam intelligit potest Judæa, sive due tribus, presertim Jerusalem, q. d. Judæa et Jerusalem, que est domus vicina Samarie, ut ex Samaria ob vicinitatem accepit idololatriam et culpam, ita et pœnam ac excidium ab eadem accipiet. Jerusalem, inquam, qua paulo ante « stetit sibi, » hebraice עירייה *emdat*, id est in subsistentia sua, q. d. Que in suo statu et robore, et, ut Chaldaeus verit, *elegantia stetit integra* et intacta ab Assyriis, constans et invicta, dum verum Deum colebat, ab eoque protegatur, cum tu, o Samaria, declinans ad idola, excidisti a tuo statu, et abducta es ab Assyriis. Hoc est quod dicit vers. 9: « Desperata est plaga ejus, » Samarie, « qua venit usque ad Judam; » et rursum dicit vers. 12: « Descendit malum a Domino in portam Jerusalem. » Ita S. Hieronymus cum suis sequacibus, Ribera et alii. Transit enim Propheta a clade Samarie ad cladem Jerusalem, que Samaria erat vicina et affinis, ac quasi soror. Aliter recentiores, qui novam eundem versionem; et varii varie; ut fit, dum a Vulgata recedunt, ut lector in his nihil certi et solidi inveniat, sed animo semper vegetet et fluctet. Porro planctus et stragis hujus causam assignat Chaldaeus, dum paraphrasice ita verit: *Planctum vobis edite cum amaritudine, ob interfectos fortium vestrorum, in domo profunda, propter domos desiderabiles vestras, quas violenter abstulistis, hanc ad illam adjuungentes; ideo elegantia terram vestram tolletur a vobis.* Vido *Isaie* v. 8,

12. QUIA INFIRMATA EST IN BONUM, — id est ad vers. 11. homum, scilicet tum pietatis et virtutis, tum inde consequentis prosperitatis et præmii, q. d. Privata est bonis tam gratie, quam nature et facultatum.

QUE HABITAT IN AMARITUDINIBUS; — Septuaginta: *Quæ habitat in doloribus*; Hebræus: *Quæ habitat in Maroth*. *Maroth* est nomen urbis in Judæa, teste S. Hieronymo. Fortè illa que in tribu Juda ponitur, *Josue* xv, 58, et *Maroth* vocatur. Fuit et alia urbs *Mara* in tribu Manasse, apud quam Damasceni quondam castrametati sunt; de qua Tyrius, lib. XV *Belli sacri*, cap. VIII, et Adrichomius in *Manasse*. Rursum *Maroth* hebraice significat amaritudines. Unde Noster verit: « In amaritudinibus, » majuscula I, ut significaret esse nomen proprium; sed ita ut ejus vis et energia consistat in appellativo, quod significat amaritudines. Perinde ac *Leodii* celebris est pons *Amaricour*, id est amari cordis, ita dictus quod in eo cæsi sint cives a Carolo Audace, cum ipse per illum in urbem irrumpens, eam ferro flammæ vastavit. Hic ergo est Eburonum *Maroth*. Itaque sensus est, q. d. Tu, o *Maroth* urbis, et tu, o Juda, *Maroth* urbis possessor et dominus, qui sub *Ezechia* rege pto, in bono pietatis æque ac prosperitatis, puta in pace et rerum omnium affluentia felix lætusque vivebas, inde sensim ad vitia et idola dilapsus, amissisti cum bono pietatis bonum prosperitatis; et acquisivisti malum amaritudinis et adversitatis (hinc Theodoretus legit: *Quis cepit offerre dolores ei, que habitare solita est in bonis*) Quocirca jure vocari potes *habitans in Maroth*, id est in amaritudinibus, hoc est in peccatis, quibus Deum et conscientiam amaricasti (unde Synmachus verit: *Habitatio ad amaritudinem provocans*), atque in penis et suppliciis, que corpus animumque tum affligunt et amaricant.

Ex dictis patet, primo, Prophetam per elegantiam alludere ad urbes Judææ dielas *Maroth* et *Bethaetsel*, æque ac paulo ante allusit ad *Aphra*, *Sappir* et *Sanaan* urbes Samarie; hæc enim cum sua metropoli passæ et vastatæ sunt, sed per illas intelligere totam provinciam, per synecdochen. Simili enim modo *Isaia*, cap. xv, 2 et seq., describens vastationem provincie *Moab*, dicit vastatas esse *Medaba*, *Luit*, *Eleale*, *Segor*, *Nemrim*, *Gallim*, *Dibon*, etc., que sunt urbes *Moab*. Sic *Jeremias*, cap. XLVI, 14, prædicens vastationem *Ægypti*, dicit vastandam *Mempthim*, *Taphnim*, *Magdalum* aliasque urbes *Ægypti*.

Patet, secundo, hæc nomina *Aphra*, *Sappir*, *Sanaan*, *Bethaetsel*, *Maroth*, esse propria urbium, sed Prophetam urgere horum nominum significata ad elegantiam et energiam; rursum hæc nomina propria urbium adaptari toti provincie in qua sunt, puta Samarie, vel Judææ, sive Jerusalem. Sensus ergo plenus totius hujus loci a versu 11 usque ad vers. 13, hic est, q. d. Tu, o urbis, que vocaris *Aphra*, id est pulvis, juxta

nomen tuum pulvere te conspergere; tu, o urbis, que vocaris *Sappir*, id est pulchra, transi ad squalorem captivatis; tu, o urbis, que vocaris *Sanaan*, id est abundans vel egrediens, egredere in captivatum. Pari modo tu, o Samaria regio, que hæc et plures urbes complecteris, tu, inquam, es *Aphra*, id est pulvis; quia in pulverem mox ab Assyriis redigenda, in pulvere ergo te voluta: tu pariter, o Samaria, es *Sappir*, id est pulchra, sed deformanda et captivanda ab hoste; tu denique es *Sanaan*, id est abundans et egressura ad hostes. Hæc de Samaria sequentia spectant Judæam et Jerusalem. Tu ergo, o urbis, que vocaris *Bethaetsel*, id est domus vicina urbi *Sanaan*, planctum ex ejus vastatione accipies; nam tua res agitur, paries cum proximus ardet. Tu quoque, o urbis, que vocaris *Maroth*, id est amaritudines, dira et amara patieris ab hoste; quia ipse te tuaque omnia enervabit et infirmabit. Pari modo, o Judæa et Jerusalem, que hæc urbes *Bethaetsel* et *Maroth* sub tuo dominio complecteris, tu es *Bethaetsel*, id est domus vicina Samarie; unde ex ejus vastatione vastationem et planctum accipies. Insuper tu es *Maroth*, quia amaras infirmilates et strages experieris. Summa ergo omnium sit, q. d. Tu, o Samaria, eum tuis urbibus, ac deinde tu, Judæa, cum tuis ab hoste vastabimini; clades enim Samarie ad vicinam Judæam dimanabit. Patet ex sequentibus.

Tropologie, *Aphra* est mors, que nos in pulverem resolvit; *Sanaan*, id est exitus, est judicium, quod nos egredi facit, vel ad *Maroth*, id est amaram gehennam, vel ad *Sappir*, id est pulchrum cœlum, vel ad *Bethaetsel*, id est purgatorium. Hoc enim est domus vicina quoad locum gehennæ, quoad statum et meritæ cœlo. Hæc sunt quique novissima cuique jugiter meditanda, que proinde Propheta hic cuique ob oculos ponit, ejus verba facile est singulis applicare.

QUA DESCENDIT MALUM A DOMINO IN PORTAM JERUSALEM. — Nam, ut ait S. Hieronymus, *Sennacherib* Assyrius, vastata Samaria, venit etiam ad Jerusalem, misitque *Rabsacem* qui Hierosolymis insularet, lib. IV *Reg.* cap. xviii, vers. 17; *Isaie*, cap. xxxv, vers. 2.

13. TERCULUS QUADRIGÆ STUPORIS HABITANTI LACUS, — q. d. Quadrige *Sennacherib* suo numero, cursu, strepitu, ac armorum, rotarum, ungularum et eorum collisione tumultantes, primo invadent *Lachis* urbem Judææ, ejusque habitatores, ac eis stuporem ob nimium timorem et terrorem incipient. Causa est, quod *Lachis* « fuerit principium; » Septuaginta, *principes peccati filii Sion*; id est, quod *Lachis* prima in Juda suscepit cultum Baalam, id est idololatriam Israël, id est decem tribuum, ceterasque Judææ urbes eadem infecerit et corruerit. Hinc et prima pœnas dabit, primaque capietur a *Sennacherib*. Id ita factum esse liquet IV *Reg.* xviii, ubi *Sennacherib* dicitur ex *Lachis*, quasi jam a se occupata,

mississe *Rabsacem* in Jerusalem, ut ejus editionem peteret.

Aliter vertunt Chaldaeus, Pagninus, Vatablus et Arias, nimirum: *Junge curram ad equos velocissimos (vel ad dromedas, qui sunt camelivelestissimi, indeque græce dicti sunt dromades, id est cursores), habitatrix Lachis, q. d. Fuga vobis consulte, fugite velocissime quadrigis vestris velocissimis, o habitatores Lachis; quia instat vobis hostis Sennacherib. Lachis enim erat urbs florentissima, eorumque atque currum copia et exereitatione nobilis, in quam ob vicinitatem et commercium, atque exercitationis stadium, idololatria cultus primus ab Israëlitis delatus, inde totam Judæam corruerat. Est ironia et iactura irrisio, q. d. Tu, o *Lachis*, maxima et celeberrima equorum et quadrigrarum frequentia, tua illa admiranda et stupenda exercitatio, et in arte equos quadrigæ agitandi dexteritas, nil tibi proderit ad hoc ut Assyrio resistas; quare suadeo ut ea urbis ad fugam, sed nec hæc tibi proderit: non enim effugies; nam Assyrius te licet velocissime fugientem, comprehendet. Unde Chaldaeus verit: *Aptate quadrigas, projicite vos super veredos, qui habitatis Lachis.**

In Hebræo est pulchra paronomasia inter רכב *rocheb*, id est quadriga, ורכש *roches*, id est *dromedarius*, quod Noster verit, *stuporis* et *Lachis*, id est ambulans ad *Æthiopiæm*, q. d. Tu, o *Lachis*, juxta nomen tuum ambulans ad *Æthiopiæm*, id est ad idola fuliginosa et atra, atrosque demones quos colis; ambulans, inquam, placido et lento gressu: ideò jam non eris *Lachis*, sed *rocheb* sive *roches*, id est dromas stupende velox; et *rocheb*, id est quadriga; quia instat quadrige et dromadis velocissime conaberis fugere Assyrium; sed cogeres captiva celerrime currere in Assyriam.

Sic tropologie, qui lenti perstant in peccatis, cogentur præcipites abire in supplicium et in gehennam, ait a Castro.

14. PROPETTERA DABIT EMISSARIOS (Chaldaeus et Vatablus vertunt, *manera*) SUPER HEREDITATEM GERI (1). — Hoc loco significat videtur (licet id alibi non legamus) quod eives *Lachis* adventante *Sennacherib*, timentes ejus obsidionem et excidium, eoacii miserint emissarios, id est legatos, cum milium comitatu et numeribus, ad Geth urbem *Philistinorum* potentem, alias hostilem, qui ab ea peterent opem, sed frustra. Nam, ut sequitur, *Maresa* et *Geth* sunt « domus » *Aezib*, id est *mendacis*, « in deceptionem regibus Israel, » quia nimirum utraque mondaerit promittens opem, eamque promissam non præstans,

(1) Causalis particula לכן *laken*, referenda est vel ad id quod proxime præcedit vers. 13, quod videlicet Israeliticam idololatriam filia *Zionis*, ad exemplum urbis *Lachis*, imitata est, vel ad remota, vers. 5, ubi dicitur, ex urbe *Hierosolymitana* promissum superstitiosum idololatriæ cultum in reliquam Judæam.

sed fallens, decepti, uti alias saepe reges Israel, ita nunc Judaeos et civis Lachis.

Nola : Pro super hereditatem Geth, hebraice est super, vel ad Maresa Geth. Unde videtur quod Maresa fuerit nomen proprium urbis subiectae Geth et Gethais. Ita R. David, Pagninus et Vatablus; nam de ea subdit : « Adhuc heredem adducam tibi, quae habitas in Maresa; » et quia Maresa hebraice significat hereditatem : hinc Noster vertit, hereditatem, ob allusionem quam mox explicabo. Urbs enim Maresa pertinebat ad Geth, ejusque erat quasi hereditas. Sensus ergo est, g. d. Lachis mittit legatos ad sibi vicinam Maresa, quae est hereditas et civitas Geth, ut ab ea opem petat contra Sennacherib.

Secundo et melius, S. Hieronymus et Ribera, g. d. Sennacherib ex Lachis mittit emissarios, id est milites volentes et velites, in Maresa, id est in hereditate, agros et oppida Geth, ut ea depopulentur : eo quod ipsi nunc, uti alias saepe, instigant Israelitas, et civis Lachis, ad resistendum Assyriis, promittendo eis opem, quam non praestiterunt : ideoque fuerunt, et sunt domus mendacii. Unde sequitur :

Domus (hebraice כניו באת, id est domus in plurali : unde Plantiniana legunt domos in accusativo, ut sit appositio, g. d. Super Maresa et Geth, super domos, inquam, mendacii : tales enim sunt Maresa et Geth) MENDACII IN DECEPTIONEM REGIBUS ISRAEL : — scilicet fuerunt urbs Maresa et Geth, uti jam exposui. Hebraice est, domus מנדאכא אצביז leachab, id est domus mendacii ad mendacium, id est deceptionem regibus Israel.

Nota : Aezib fuit nomen proprium urbis in tribu Juda, Josue xv, 44. Unde de ea hic agi putant Chaldaeus, Vatablus et Pagninus. Sic enim vertit Chaldaeus : Domus Aezib tradentur populis propter peccata, quibus venerati sunt titula reges Israel; Pagninus : Domus Aezib erunt in mendacium regibus Israel. Quod Vatablus sic exponit, g. d. Edes urbis munifissimae, quae erat in tribu Juda, nomine Aezib, quae erat instar arcium, fallent reges Israel, et frustrabuntur spe sua, g. d. Reges Israel, id est reges Juda, frustrabuntur spe sua, cum descendunt in Aezib, ut illic sint tui contra hostes : quia civitas illa non poterit resistere hostibus; sed Aezib vere erit Aezib, id est mendacium, et mendax praesidium. Fuit et alia urbs nomine Achseph, vel Aeziba, postea Eodippa dicta, maritima et potens, non longe a Tyro, quam initio filii Aser expugnare non poterunt, ut patet Judic. i, 31. Verum melius S. Hieronymus et alii censent Maresa et Geth hic vocari domus Aezib, id est mendacii, quia fidem datam Israelitis sefellunt; cum allusione tamen Aezib urbis, quae vere hoc nomine exstabat in Juda, g. d. Domus Aezib, id est mendacii, hoc est mendax et fallax, non jam erit urbs Judae, quae vocatur Aezib, sed erit Maresa et Geth. Sic Isaias Jerusalem vocat Sodomam, ob mores Sodomiticos,

cap. i, 10 : « Audite, ait, verbum Domini, principes Sodomorum, » etc. Sic saepe Ezechiel et Prophetae Judaeos vocant Chethos, Chanaanos, Amorrhoeos, etc. De Maresa enim hic agi patet ex eo quod mox sequitur. Unde Syrus vertit : Domus vanitatis facta sunt in vanitatem regibus Israel; Arabicus : Domus deceptionis (erroris) facta sunt deceptio regibus Israel.

15. ADHUC HEREDEM ADDUCAM TIBI QUAE HABITAS IN Vers. 15.

MARESA. — Micheas hoc cap. plenus est allusionibus : in nominibus enim urbium propriis, eleganter, salse et acute alludit ad eorum significata : quae de causa Noster non ipsa nomina propria hebraica, sed eorum significata ponit. Sensus ergo est, g. d. Tu, o Maresa urbs, juxta nomen tuum fuisti hereditas dives tua, aequae ac Gethaeorum principum tuorum. Ad nunc allium heredem tibi adducam, qui tua occupet et haereditet, scilicet hostem Assyrium; ut jam sis Maresa, id est hereditas, non tua, nec Gethaeorum, sed Assyriorum; eo quod tu Israelitis incitaveris, et vana spe lactaveris ad resistendum Assyriis. In Hebreo pulchra est paronomasia : Adducam heredem ad suam hereditatem. Porro Maresa haec non fuit Michae patria, uti aliqui opinantur; nam Maresa haec fuit in Geth Philistinorum, Micheas autem fuit Judaeus : nisi dicas hanc Maresa esse illam quae tribui Judae fuit assignata a Josue cap. xv, 44, sed quam Gethae per vim possederint, et Judae eriperint. Verum S. Hieronymus et alii dicunt patriam Michae fuisse Morasthi distinctam a Maresa, uti dixi in Proemio. Ludit Micheas in voce, aequae ac in re Maresa id est hereditas; sicut in eadem ludit Horatius, lib. II, satyr. II :

Nos expulsi ille :
Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris;
Postremum expellet certe vivacior haeres.

Unde topologicae, domus Aezib, id est mendacii, est mundus, et omnis mundana hereditas, praesertim inique, vel per vim, aut fraudem acquisita : haec enim est Maresa Geth, id est hereditas torcularis, quae sollicit potentes premunt et opprimunt plebem et pauperes, sed postea sentient eam esse Achzib, id est domum mendacii. Quibus merito intonat Psaltes : « Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium? » Ita haereticus, passim a catholicis, implorant opem Turcarum, sed postea sentiant eam esse Achzib, id est mendacium; quia post victoriam Turca eos sibi subigit, eisque jugum Turcicum imponit; uti Bude et Hungariaeavorum memoria accidisse solemus. Ita sage, magi, alique desperatae fortunae demonem invocant, sed invocant Aezib, id est mendacium. Nam demon ab eis animam et corpus extorquet, eosque in solidum mancipat. Ita multi sectantur aulam, ut honores et opes assequantur, sed post multos la-

bores spe sua frustrati, deplorant se servisse tot annis in vanum domi Achzib, Filii hominum, ut quid toties hoc mendacium experti, non sapitis? « Ut quid » adhuc « diligitis vanitatem, et queritis mendacium? » Spes omnes tuas repone in principe, in prelo, in amico; moritur ille, vel tibi offenditur ob rem levem, ecce spes tua effusa in terram : ecce spes tua est Achzib, id est mendacium. Confidis in filiis, quod familiae tuae erunt bases et columnae; sed mox hunc rapit bellum, illum pestis, tertium furca, quartum hospitale, quintus degener est et rebellis : ecce confusus es in domo Achzib. Juvenis es in flore aetatis, superbis, robor tuum perenne putas, spondes tibi annos Nestoreos; sed inopinato febris te invadit, debilitat, decolorat, ut fias imago mortis : ecce juvenus tua, robor tuum est Achzib, est mendacium. Abundans opibus, dieisque cum divite illo Evangelico : « Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. » Sed audi vocem Allituantis : « Stulle, hac nocte animam tuam repetat a te; quae autem parasti cuius erunt? » Luc. xii, 19. An non haec sunt opes, haec domus Achzib? An non haec est hereditas mendacii? Vere Sapiens, Eccl. xxxiv, 1 : « Vana spes, et mendacium viro insensato; et somnia extollunt imprudentes. » Quid enim sunt omnes res et spes mortalia, nisi somnia vigilantium? ut ait ex Platone Philo : « Quasi qui apprehendit unbram, et perssequitur ventum; sic et qui attendit ad visa mendacia. » Et Psaltes, Psalm. lxi, 10 : « Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum, » quasi dicat : Ipsi sunt quasi filii vanitatis, et per consequens sunt vanitas in idipsum, id est omnes simul. Unde Hebraeus et Chaldaeus habent : Filii hominum in statera si ascendant, ipsi pariter lectores statera; S. Hieronymus vertit : Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri, in stateris dolosis fraudulentè agunt simul; Theodolus : Vapor sunt filii hominum, mendacium filii viri, ut momentum statera, quod mox sursum, mox deorsum inclinatur et fertur, ait Theodoretus, g. d. Ita nihil stabile est in rebus humanis, sed omnia instabilia et pendula, perpetua agitatione motuque librantur : promittunt quidem stabilitatem et constantiam, sed mentuntur : « Omnis » enim « homo mendax, » omnis pariter res et spes humana est mendax.

Vere S. Augustinus, lib. De Cognitione vere vite, cap. xxv, tom. IX : « Totus, inquit, hic mundus instar brevissimi puncti intra Deum collocatur; serenissima autem lux majestatis ejus extra undique versum in immensum diffunditur. » Idem, in Psalm. xxxvi, conc. 1 : « Molendinum, inquit, puto dictum mundum istum, quia rota quadam temporum volvitur, et amatores suos conterit. » Sapienter vero aequae ac pathetice auctor serm. ad Fratres in eremo, serm. 31 : « O munde prodi-

tor, ait, cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers : promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris merorem; promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed cito vaneescis; promittis stare, sed cito recedis. » Et paulo ante : « Ve, qui tibi crediti; beatus qui tibi resistit; sed beator qui a te illusus recedit. » Et inferius : « Dicant omnes, loquantur cuncti, surgat venerabilis pater Adam cum omnibus filiis suis, et uno ore loquantur, utrum in hac vita gaudium habuerint sine dolore, pacem sine discordia, quietem sine metu, sanitatem sine infirmitate, lumen sine tenebris, pacem sine dolore, risum sine fletu. » Et mox : « O munde immunde, in te habitare, et non dolere, impossibile est. In te sperare, et non timere, vanum est. In te tua amare, et non periclitari, vanum est. O fratres mei, nolite ergo cum diligere, quoniam transit, et concupiscencia ejus. Sed ecce mundus transit, et nos turbat, et amat; fallit, et fidelis reputatur : occidit, et velut vita desideratur. O munde immunde, mella tua et dulcedo tua asperitatem habent, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam laetitiam, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriae, et spem beatitudinis inane. » Annon ergo mundus est domus Achzib, sedes mendacii? Annon ipse reipsa clamat מנדאכא אצביז, id est mentior et mentiar, decipio et decipiam? Ut quid ergo mendacii, et talem se profitemi creditis et fideliis.

USQUE AD ODOLLAM VENIET GLORIA ISRAEL. — Odolla quae et Adalla et Adolla dicitur, urbs fuit antiqua, magna et regia, cujus regem occidit Josue, cap. xii, 13. Hanc postea sedificis munivit Jonathan, atque in hac sabbatum egit Judas Machabeus, II Machab. xii. Est, ait S. Hieronymus in Locis Hebr. usque hodie vicus parvus ad orientem Eleutheropoleos. Juxta urbem est spelunca Odollam, in qua latuit David fugiens Saulem, ibique collegit quadringentos viros, quorum factus est princeps, I Reg. xxii, 1, et II Reg. xxiii, 13. Ita Adrichomius in Descript. Terrae sanctae. Jam sensus a variis hic varius datur. Primo, g. d. Assyrius vastabit capietque omnia, usque ad Odollam, quae est urbs magnifica, et quasi gloria Israel. Sic Judith victricis, ob occisum ab ea Holofernem, acclamavit pontifex et populus : « Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri, » Judith xx, 10. Secundo, alii per gloriam Israel intelligunt Assyrium, qui Israelis opes et gloriam occupavit et hereditavit : sicut enim eum paulo ante ironice vocavit heredem Maresa, sic eundem nunc vocat gloriam Israel. Unde Pagninus et Vatablus sic vertunt : Haeres gloriae Israel (puta Assyrius) veniet usque ad Odollam. Tertio, S. Hieronymus cum suis gloriam accipit per antiphrasin et sarcasum, pro Jedeocore, g. d. Dedecus Israelis, quod illi inferet Assyrius vastator, perveniet usque ad Odollam.

Quarto, hebreum כָּרִיב *carib* non tantum gloriam significat, sed et gravitatem. Unde verti potest: *Gravitas*, id est gravis afflictio, *Israelis perveniet usque ad Odollam*. Ita Lyranus et Arias. Quinto, planius proprie potest capi « gloria Israel, » q. d. Assyrius sensim propinquo capiet omnes pene urbes Israelis et Judae, ita ut perveniat ad Odollam, quae erat in finibus Juda; et consequenter regnum, ditio et gloria Israel quasi propulsa et fugata ab Assyrio, perveniet sistetque in Odollam urbe olim gloriosa: quare illa, ab eodem capta, quasi exstinguetur, et cornuet gloria Israel, juxta illud Poetae:

Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucorum.

Hinc esse Israele et capta arca, uxor Phineas pontificis gravida, ex dolore enixa filium, vocavit enim *Ichabod*, id est, *ubi gloria?* dicens: « Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, » I Reg. iv, 20. Ita Propheta hic per vastitatem urbis magnifice Odollam, quae pene erat extrema in Juda, ceterarum omnium praecedentium et interjaacentium urbium vastitatem significat; ita ut in Odollam statura et casura sit ditio et gloria Israelis. Alludit ad etymon *Odollam*, vel, ut hebraice est, *Hadulam*. *Hadulam* enim hebraice significat, *ornamentum usque ad eos*, scilicet perveniet; vel *transitus aut praeda*, scilicet Assyriorum, usque ad eos, scilicet perveniet. Ita Pagninus in *Interpr. Nomin. Hebr.* Denique perperam pro *Odollam*, legit *olan*, id est saeculum; unde vertit: *Usque in saeculum effertur gloria Israelis*; et Arabicus: *In saeculum exaltabitur gloria Israelis*.

Vers. 16.

16. **DECALVARE.** — Non tu, o Jerusalem, ut vult Theodoretus; hanc enim capere nequivit Sennacherib de quo hic agitur, imo ipse ibidem cessus est ab angelo; sed vel tu, o Odollam, et tu, o Maresa, ut censet Vatablus; vel tu, o Israel, ut censet Arias; vel potius tu, o Samaria, quae uti sceleris, ita et excidit Jude fuisti dux et choragus, uti hoc capite docet: *decalvare enim in Hebraeo est femininum generis; ergo femininum nomen Samariae, non masculinum Israelis respicit*. Ita S. Hieronymus et Rupertus. Unde Septuaginta aliter haec dispungentes, clara vertunt: *Gloria filio Israel decalvare et detondere super filios delicatos tuos*. Hoc est quod dixit initio capituli v: « Quod scelus Jacob? nonne Samaria? » Sicut ergo cepit hoc caput in Samaria, ita et in eadem claudit. Dicit ergo: Tu, o Samaria, et consequenter tu, o Judaea, decalvare et tondere in signum extranei luctus. Hujus enim apud Iudeos, et etiam apud Gentiles signum erat calvitium et depilatio. Sic enim Job afflictus caput totondit, cap. i, 20. Idem patet Jerem. cap. vii, 29, et cap. xlvii, 5, et Ezech. cap. xxvii, 31. Nam, ut ait Ovidius:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

Calvitium
transis-
sum loc-
tus.

Decalvare ergo, o Samaria, in signum insignis morosis, desolationis, excidit, et, ut Theodoretus ait, rejectionis, qua Deus rejecit et reprobat filios deliciarum tuarum, id est, filios qui tibi sunt in deliciis, et, ut Septuaginta vertunt, *filios delicatos tuos*, eosque tradet hosti Assyrio vel occidentos vel captivos. Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo, Lyranus, Clarus et Palaeus. Unde secundo, consequenter innuit ipsos filios, puta Israelitas et Iudaeos, ab Assyris decalvandos et detondendos quasi mancipia. Hoc enim bello capti et serviti facere solent victores et domini. Unde de Scipionibus dictum: « Sub quorum titulis Africa tonsa jacet. » Quocirca Chaldaeus vertit: *Exulte tibi capillos, et projice super filios deliciarum tuarum: sicut aquila, cujus alae delapsae sunt, sic adauge calvitium in capite tuo causa florum tuorum, q. d. Fac tibi magnum calvitium, sicut aquila, dum senesit, plane deglabratur, ut ostendas ingentem luctum et microrem.*

DILATA CALVITIUM TUUM SICUT AQUILA (Syrus et Arabicus: *Multiplica calvitium tuum sicut aquila, quia sicut aquila plumas, ita tu populum filiosque tuos amittis, unde sequitur*) **QUONIAM CAPTIVI DUCTI SENT EX TE.** — Tertio, Theodoretus: Aquile, inquit, non tantum decor, sed et celeritas ac robur consistit in pennis; cum enim ei defuncti pennae, adeo infirma est et timida, ut sese abscondat, nec venari possit vel audet, sed aliorum potius praeda sit exposita. Sic ergo et Samaria nuda armis et militibus, quasi implumis aquila, quae neque robur habet, neque effugium, Assyriorum praeda exponetur. Quarto, Sanchez censet hic alludi ad Genitium, quos secuti sunt Israelitae, morem, qui solebant in suorum funere cesariem tondere, eamque in defuncti sepulchrum inferre, itaque et parentare. Sic Homerus, *Iliada* XXIII, ait ab Achille comam in Patrocli rogam coniectam. Et Catullus in *Argonautis*:

In cinerem canos solvent a vertice crines.

Et Seneca in *Phaetra*, actu V, scena 1:

Placemus umbras; capitis exuvias cape,
Laceraque frontis accipe abscissam comam.

Idem disertè docet Dionysius Halicarnassensis in *Funere Virginiae*. Sensus ergo est, q. d. Omnes tui cives et filii, o Samaria, evellentur aut a natali, aut a vitali solo; omnes morientur vel civiliter, vel naturaliter, hoc est, omnes vel interibunt, vel capientur ab Assyris. Illis ergo parenta, tuosque crines in eorum rogam injice. Verum cum illi sint innumeri, et tui capilli pauci, ut singulis hoc ritu parentes, oportet ut quicquid in toto corpore capillorum est, ad ipsas usque radices evellat; sicut quicquid est in aquila plumarum, cum ipsis etiam radicibus effluit, dum illarum profuvium et calvitium subit. Huc accedunt alii, qui censent hic notari et puniri idololatriam crinium, q. d.

Tu, o Maresa, tuos torumque filiorum et filiarum capillos idolis obtulisti, idcirco decalvaberis, ut in quo peccasti, in eo et puniaris. Idololatrias enim capillos capitis et barbae resectos consecrasse suis diis docet Alexander ab Alexandro, lib. V *Genial.* cap. xviii, et ibi Tiraquellus. Et de Aegyptiis testatur Diodorus Siculus lib. II, cap. IV, « pro pueris morbo affectis vota concepsisse, ut si Deus voto adesset, defectum capillum dedicarent. » Et Virgilius, IV *Æneid.*:

Hunc ego Didi
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, et dextra crinem secat.

Et Euripides in *Bacchidib.*: « Sacer capillus est, Deo ipsum nutrio. » Et Papinius lib. II: « Virgineas libare comas. » Idem testatur Tertullianus, lib. *De Anima*, et Censorinus, lib. *De Die natali*, et Proemio. Plutarchus in *Theseo* narrat eum ex more recepto, cum ex pueris excessisset, Delphos abiisse, ut comae primitias Apollini sacraret. Suetonius in *Nerone*, cap. XII, ait Nerone ex aurea pyxide barbam consecrasse Jovi Capitolino. Gentiles velut similes hoc, ut et multa alia, acceperunt a Judeis, quorum Nazaree crinem suum volebant, sacrabant et comburebant Deo, ut dixi Numer. vi.

Primus sensus ut planior, ita et germanior est. Comparat Israelae aquile potius quam aliis avibus: quia cum homo solo capite decalvetur, aquila toto corpore depilatur, cum senescit: unde tunc juvenescit rursum, cum nova ei plumae pro veteribus succrescunt, de qua re multa dixi *Isaie* XI, 31. Audi S. Gregorium, hom. 18 in *Ezech.* in fine: « Conligit, ait, ei (Romae a Longobardis, tempore S. Gregorii, obsessae) quod de Judaea novimus per Prophetam praedictum: Dilata calvitium tuum sicut aquila. Calvitium quippe homini in solo capite fieri solet, calvitium vero aquile in toto corpore: quia cum valde senescent, plumae ejus ac pennae ex omnibus membris illius cadunt. Calvitium ergo suum sicut aquila dilatat, quia plumas perdidit quae populum amittit. Alarum quoque pennae ceciderunt, cum quibus ad praedam volare consueverat: quia omnes potentes extincti sunt, per quos aliena rapiebat. Hec autem quae de Romana urbis contributione dicimus, in cunctis facta mundi civitatibus scimus. Alia enim loca clade desolata sunt, alia gladio consumpta, alia fame cruciata, alia terra hiatribus absorpta. Despicimus ergo ex toto animo

hoc presens saeculum, vel extinctum: et finiamus mundi desideria saltem cum mundi fine. Imitemur bonorum facta, quae possumus. » Quidam apud Clarum vertit: *Projice in altum avrasos capillos tuos, quantum subolare solet aquila*, id est maxime et acerbissime luge. Sed hebraea vox *קרנך carach* significat decalvare, non projicere in altum.

Alii censent aquilam, uti et hominem, solo capite decalvari: calvitium enim proprie est capitis, depilatio vero corporis. Cum enim aquila senesit, plumas tam in capite, quam in corpore amittit; unde tunc in capite decalvatur, in corpore depilatur. Verum de calvito capitis aquila, nihil praeter aliis avibus singulare apud Plinium, Aelianum, Aristotelem, Aldrovandum et alios legitur; sed depilationem totius corporis aquilae celebrant omnes. *Decalvare* ergo hic idem est quod depilare. Unde ait: « Dilata calvitium tuum, » ut scilicet a capite per totum corpus extendatur.

Tropologie, aquila pennas veteres dimittens, sequè decalvans et depilans, et mox novas assumens, symbolum est penitentiae et penitentium, qui calvitium penitentiae, id est luctum, signaque luctus assumunt, ac veteres pravos mores deponunt, novaque virtutis vitam ineunt. Ita ex S. Hieronymo Aldrovandus in *Aquila*, pag. 69; imo Psaltes, *Psalms*, cii, 3: « Renovabitur ut aquila juvenus tua, » nimirum « veterem hominem deponens, novum autem qui in Creatoris agnitionem renovatur, assumens, » ait ibidem S. Chrysostomus. Sicut enim aquila omnes pennas veteres deponit, totoque corpore se depilum, ut ubique novas assumat, totumque corpus renovet; ita peccator et penitens omnes mores pristinos deponere, novosque assumere debet, ut fiat alter novusque homo. Hoc verum, sed rarum penitentiae est schema.

Symbolice Samaria, et quisvis peccator per peccatum decalvatur, id est omni decore et gloria virtutum et gratiarum spoliatur. Ita S. Hieronymus. Unde perdit Odollam, id est ornamentum eorum; et Maresa, id est hereditatem gratiae Dei et regni caelestis; et Samariam, id est custodiam angelorum; et qui antea erat Israel, id est dominans Deo, fit mancipium diaboli.

Anagogice Rupertus: Haec, ait, similitudine aquilae deplumantis se, ut novas pennas assumat, continetur facta promissio alterius sobolis ad gloriam; Samariae quidem ad litteram, fidelium vero et sanctorum mystice, praesertim per resurrectionem et gloriam caelestem.

Aquila
sedepilans
et
renovans
schema
est peni-
tentis.Et pec-
catoris.Anagogi-
ce, resur-
gentium
ad glo-
riam.